This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SECTIS ET PHILOSOPHIA IVRISCONSVLTORVM OPVSCVLA:

I. CHR. OTT. A BOECKELEN DE DIVERS. FAMILIIS VETT. ICTORVM, ET DE ORAT. PRINCIP.
II. IO. PHILIPPI SLEVOGTII PROGR. DE PHILOSOPHIA PAPINIANI.
III. IVST. HENNING. BOEHMERI PROGR. DE PHILOSOPHIA ICT. STOICA.
IV. EVERHARD. OTTONIS ORAT. I. DE STOICA VETERVM ICT. PHILOS.
V. EIVSDEM ORAT. II. DE VERA NON SIMVLATA IVRISPRVDENTIA.
VI. CORNELII VAN ECK ORAT. DE RELIGIONE ET PIETATE VETERVM IVRISCONSVLTORVM.
VII. IO. SAM. HERING DISSERT. DE STOICA VETT. ROM. IVRISPRVDENTIA.

COLLEGIT RECOGNOVIT ET PRAEFATIONE
DE
ELOGIIS ICTORVM ROM.
AC PROGR.
DE DISPVTATIONE FORI
AVXIT
GOTTLIEB SLEVOGTIVS D.
COM. PAL. CAES. CVR. PROV. DVC. SAX. ADV. ORD.
ITEMQVE ADV. ELECT. SAX. IVR.

IENAE,
SVMTIBVS VIDVÆ MEYERIANÆ.
M DCC XXIV.

T 19.
Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO

DOMINO

NICOLAO

CHRISTOPHORO

S. R. I. LIB. BARONI

DE LYNCKER,

AVRATO ET RHENANI ORD. EQVITI

DAMBRAVIÆ DYNASTÆ

NOBILI ITEM ET HEREDITARIO

FLVRSTETI ET KOETSCHAVII

DOMINO

INVICTISS. ROM. IMP. A CONSILIIS

IN AVLA IMPERIALIBVS

SPLENDIDISSIMO

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

Digitized by Google

In
Tanti ICti, Tanti Herois Togati,
Tanti Orbis literarii Principis
Iuris non minus religioſisſimi
quam Conſultiſſimi
Cujus
Stupenda in publicam rem merita
Summorum Imperantium gratiam
Aularum ac Academiarum admira-
tionem
Immortalem per Europam famam
Proprio jure conſecuta ſunt
Devotiſſimam Venerationem
ac
Gratioſiſſimæ in me nec merentem
Nec dignum benevolentiæ
Publicam recognitionem
Hanc collectionem
Commendationis ex LYNCKERIANO
Nomine appetentiſſimam
ſubmiſſa manu
Do Dico dedico

GOTTLIEB SLEVOGTIVS.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

ROmâ per reges ſtabilita extiterunt quidam JCti, qui verò, teſte *Pomponio L. 2. de O. J.* §. 35, conſultoribus potius vacarunt, quam diſcere volentibus ſe præſtiterunt. Inter eos fuit inprimis PVPL. PAPYRIVS ſub Tarquinio ſuperbo, LL. regiarum collector, & juris civilis Papyriani autor. Exactis L. Tribunitia regibus, & ſuffectis in eorum locum conſulibus ac tribunis, ac tandem decemviris, commutatisque cum legibus regiis LL. XII. tabb. itemque orto Pontificum collegio, cœperunt Pon-

tifices, qui prudentum nomine gaudebant, leges XII. tabb. interpretari, diſputationes fori inſtituere, actiones legitimas populo in foro acturo vendere, & ita duplici, reſpondendi & profitendi, munere fungi. Hæc omnia fuſius tractata ſunt in *Programmat.* ſub fin. hujus *collect.* adjecto, hinc ea ultra non perſequar, ſed tantum de ELOGIIS & TITVLIS, ICTIS tributis, agam. Igitur inter JCtos, republ. regibus liberata, celebrantur nomina: APPII CLAVDII e decemvirorum numero, SEMPRONII, quem populus σοφὸν per excellentiam nuncupavit, SCIPIONIS NASICÆ, qui OPTIMVS a ſenatu appellatus eſt, cui etiam publice domus in via ſacra data eſt, quo facilius conſuli poſſet; TIBERII CORRVNCANI, qui primus profiteri cœpit, & reſponſa complurima & memorabilia (hæc a reſponſis abſque ratione diſtinguit *Eberlinus ad T. de O. J. c. 36. n. 6.*) ſcripſit, quæ vero Pomponii jam tempore extare deſierunt; PVBLII ATILII, qui primus a populo SAPIENS appellatus eſt; SEXTI AELII, QVINTI MVCII, Pontif. max. SERVII, qui primum eloquentiæ tantum ſe devovit, deinde vero, cum Quintum Mucium de re

amici

Digitized by Google

amici ſui conſuleret, hic vero reſponderet: *Turpe eſſe patricio, & nobili & cauſas oranti, jus, in quo verſaretur, ignorare;* erubeſcens juri civili operam dare cœpit; & plurium aliorum apud *Pompon. c. l.* §. 35. *ſeqq.* Cum igitur ante TIBERIUM CORRUNCANUM nemo JCtorum jus profeſſus ſit, ſed JCti omnem ſuam operam reſpondendo abſolverint, cœperunt ab hoc Tiberii Corruncani tempore JCti cum reſpondendi officio profeſſionem jungere, privato tamen magis conatu, quam autoritate publica. Nam, POMPONII verbis c. l. §. 47. utor, *ante tempora Auguſti publice reſpondendi jus non a principibus dabatur, ſed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant. Neque reſponſa utique ſignata dabant, ſed plerumque judicibus ipſi ſcribebant, aut teſtabantur, qui illos conſulebant.* Videtur tamen SCIPIO NASICA, ſupra nominatus, jus publice reſpondendi a ſenatu impetraſſe, quum hic illi domum publice in via ſacra dederit, quo facilius conſuli poſſet. Poſtquam Auguſtus Imperator reſpondendi & profitendi officia autoritate ſua donaverit, ortæ ſunt SCHOLÆ & SE-

 CTÆ

CTÆ JCtorum, ob diverſa principia, quibus imbuti fuerunt & innutriti, philoſophica, diſſentientium, quod usque ad Div. Juſtinianum duravit, qui JCtorum diſſenſus in luculentam conſonantiam componere tentavit. Non eſt inſtituti mei, tot JCtorum SECTAS enarrare, & eorum *reſponſa*, *quæſtiones*, *regulas*, *benedicta*, quæ injuria partim temporis, partim Triboniani, perierunt, partim vero miſere lacunata adhuc apud *Anton. Schulting. in Jurisprud. Antejuſtin.* aliosque fragmentorum collectores, ſuperſunt, recenſere; ſed enarrabo præcipua tantum ELOGIA, quæ ſua ICTIS tribuit ætas. De Titulo σόφυ, OPTIMI & SAPIENTIS, quo SEMPRONIVS, NASICA & ATTILIVS, JCti proximo poſt exactos Reges tempore florentes, mactati ſunt, ſupra fuit commemoratum. *Gell. L. 4. c. 1.* allegat *Vett. juris magiſtros, qui ſapientes appellati ſunt.* Attilius SAPIENS dictus, *quia prudens eſſe in jure civili putabatur. Cic. in Lælio c. 2.* Creſcente vero Juriſconſultorum numero & autoritate, aucti quoque ſunt HONORVM TITVLI, quod inprimis ſub Impp. accidit. Ita JCti PRVDENTVM no-

nomine veniunt in *L. 7. de I. & I. L. 36. de ſtatu Lib. L. 4. C. de neceſſ. ſervis.* Nec minor eſt IVRISPRVDENTVM titulus, qui in *L. 10. de bon. poſſ. & L. 1. C. de ingen. manum.* occurrit. SEXTVM AELIVM nuncupat IVRIS ANTIQVI CONDITOREM Divus Juſtinianus. Simile elogium eſt IVRIS AVTORVM in *L. 39. de act. emt. L. 32. de uſur. L. 3. C. de repud. L. 1. C. de verb. & rer. ſignif.* Et IVRIS INTERPRETATORVM vocabulo utitur Imperator in *L. pen. C. de teſtam.* Frequentior eſt IVRISPERITORVM adpellatio in *Leg. 17. ſi ſerv. vend.* & *Leg. 30. de Excuſ.* itemque IVRISCONSVLTORVM. IVRIS quoque STVDIOSI vocari non erubeſcunt JCti in *L. 1. de off. adſeſſor. L. 9. §. 4. de Pœn. L. 4. de extraord. cogn.* vid. *Eberlinus c. l. c. 34. n. 2.* Specioſe de Juriſconſultis Vlpianus *L. 1. §. 1. de I. & I. cujus* (juſtitiæ) *merito quis nos* SACERDOTES *appellet. Iuſtitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur; æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes; bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione, efficere cupientes.* Referri huc poſſunt

 ſplen-

ſplendidiſſima elogia, quæ advocatis (qui ideo, quod non tantum cauſas in foris perorent, ſed etiam de jure conſulentibus reſpondeant, in numero Juriſconſultorum merito habentur) tribuuntur in *L. 14. C. de adv. diverſ. jud. ibi: advocati, qui dirimunt ambigua fata cauſarum, ſuæque defenſionis viribus in rebus ſæpe publicis ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam ſi præliis atque vulneribus patriam parentesque ſalvarent. Nec enim ſolos noſtro Imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur; ſed etiam advocatos: militant namque cauſarum patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt.* Inprimis vero pertinent huc illa honorum elogia, que ſingulis Juriſconſultis per excellentiam impertiuntur. Exemplum ſingulare præbet PAPINIANVS, qui non tantum a *Spartiano in vita Severi c. 21.* IVRIS ASYLVM & DOCTRINÆ LEGALIS THESAVRVS, it. a *Caſſiodoro L. 6. form. 5.* THESAVRVS FAMÆ PVBLICÆ, & ARMARIVM LL. ſed etiam a *Theophilo Paraphr. ad §. 7. I. de Fideicom. hered.*

ὁ ἄρι-

ὁ ἄριςος τῶν νομικῶν; a Decio Imper. in *L. 3. C. de acq. & ret. poſſ.* VIR CONSULTISSIMUS; PRUDENTISSIMUS *in L. 22. C. de Legatis, L. 16. C. de fideicomm. L. 14. C. de præd. & aliis rebus min. σοφώτατος Nov. 108.* ACUTISSIMI INGENII VIR, ET MERITO ANTE ALIOS EXCELLENS *L. 30. C. de fideic. nuncupatur. Conf. Everh. Otto in Papiniano c. 10.* Neque a veritate aberrat *Cujacius* in *vita Papiniani, Quæſt. præm. Nemo Papiniano æquari poteſt, niſi per deridiculum, nemo unquam unus Papinianus erit. Ut Homerus unus Poëtarum princeps, ſic unus princeps JCtorum Papinianus.* Non tamen negandum eſt, ſplendidos ejusmodi titulos intuitu magis graviſſimorum aulæ & belli, quæ Jureconſulti geſſerunt, munerum & dignitatum, quam juris ſcientiæ, fuiſſe tributos, eosque non nudo Jureconſulti cohæſiſſe officio. Ad recentiora, & noſtra inprimis, ſi progredi vellem tempora, ampliſſimum laudandi inveniream campum; Sed contrahenda ſunt vela, & inſtituti mei ratio in hoc præfamine exponenda. Quoties enim Corpus Jur. Rom. evolvi, & *LL. in C. & ff.* inſpexi, inveni, non alia, aut certe non tutiori,

tiori, via ſenſum ac rationem earum, quam Impp. Coſſ. & JCtorum, quorum nomina LL. ſunt præſcripta, hiſtoria, poſſe inveſtigari. Hinc egregiam, & ad illuſtrandas LL. Cod. utilem operam præſtiterunt: *Antonius Contius*, qui *faſtos Conſulares ab A. V. C. 244* usque ad *mortem Juſtiniani* noſtri; *Theod. Janſ. ab Almeloven*, qui eosdem faſtos *ab A. V. C. 244. usque ad an. Chr. 333.* una cum nominibus Præfector. Roman. & CPol. uno volumine Amſtel. 1705. edito; *Petr. Relandus*, qui eosdem faſtos *ab A. V. C. 898. usque ad an. Chr. 559*, adjectis *Hadrian. Relandi* ſupplementis; & *Henr. Brenckmanni*, *de Coſſ. quorum in ff. fit mentio, epiſtola, Traj. B. 1715*, collegerunt. Ad intelligendas vero Digeſtorum Leges ſingulare lumen adfert de ætate, ſtudiis, imprimis Philoſophicis, & Sectis JCtorum, illarum legum autorum, cognitio; hinc multum debemus *Grotio*, *Bertrando*, *Rutilio*, *Panzirolo*, multisque aliis, qui vitas JCtorum, eorum imprimis, qui a tempore reip. lib. usque ad Juſtinianum noſtrum floruerunt, & ex quorum reſponſis, digeſtis, quæſtionibus, regulis, benedictis, definitionibus leges ſuas Imperator excerpſit, conſcri-

&

pſerunt; inter quos referendi imprimis, qui hujus vel illius vitam & ſcripta recenſuerunt, quod imprimis viri ſummi: *Everh. Otto*, *Jacob. Lectius*, *Weſenbecius*, *Beſoldus in Papiniano*; *Leckius in Vlpiano*, *Macro*, *& Modeſtino*; *Reinoldus in Sexto Pomponio*; *Alyſius in Tertulliano*; *Frant. Balduinus in Scævolis*; *Henr. Brenckmann in Alfeno Varo*, Pandectis Jur. Civ. autoribus ſuis & libris reſtitutis præmiſſo; *Otto in Alfeno Varo, ab injuriis tam veterum quam recentior. liberato*; ſingulari ſtudio præſtiterunt, & *Otto* in *Servio Sulpitio*, ac *Servio Juliano* præſtabit. Huc quoque referendus *Jacobus Labittus* in *Indice LL.* qui ſub ſingulo Juriſconſulto LL. ejus collegit; majorem vero debemus gratiam iis, qui fragmenta ipſorum opp. vett. Juriſconſultorum, quæ Tribonianus irreparabili fere cum damno ſuppreſſit, collegerunt, & ad noſtra ſervarunt tempora, ex quibus ceu fontibus leges mancæ & obſcuræ optime illuſtrantur. Præſtitit hoc inprimis *Antonius Schultingius in Juriſpr. Ante-Juſtinianea*, cujus exemplum utinam alios, quibus aditus ad bibliothecas & chartophylacia patet, excitaret, in ejuſmodi vett. JCtorum fragmenta, cum lineis

&

& blatis forte pugnantia, inquirere, & in publicum ea producere uſum. Tandem quotidiano compertum habemus uſu, ad Legum non ſtatim patentium cognitionem imprimis neceſſe eſſe, ſcire, qua imbuti fuerunt earum autores philoſophia, an ſtoicam ſectati fuerint, an Platonicam, an Epicuream, an Ariſtotelicam? an eclectici fuerint? Et cum in varias & diſſentientes abierunt vett. JCti SECTAS, ſingulare adfert earum cognitio ad LL. difficiles intelligendas lumen. Hinc non inanem me laborem poſuiſſe confido in collectione quorundam de SECTIS & PHILOSOPHIA JCTORVM ROM. Scriptorum, nimirum:

I.

CHRISTIANI OTTONIS A BOECKELEN, JCti Lubec. de DIVERS. FAMILIIS JCTORVM, & de ORATIONIBVS PRINCIPVM, conjunctim Lugd. B. a 1678. edit.

Pag. 1. - 158.

II. IO. PHILIPPI SLEVOGTII, Sereniſſ. Sax. Ducum Conſiliarii Aulici Splendidiſſimi, Illuſtr. Cur. Prov. Duc. Sax. Adſeſſoris, Dicaſterior. in Acad.

Acad. Ien. Directoris graviſſimi, ac Anteceſſoris religioſiſſimi, Patrui mei inſtar Parentis ſubmiſſe venerandi; PROGR. DE PHILOSOPHIA PAPINIANI, Ienæ an. 1681.

Pag. 159. - - 180.

III. JVSTI HENNING. BOEHMERI, Com. Palat. Cæſ. Potentiſſ. Poruſſor. Reg. Conſil. Intimi, ac Anteceſſoris in Acad. Fridericiana celeberrimi, PROGRAM. DE PHILOSOPHIA JCTORVM STOICA, Halæ 1701 publicati.

Pag. 181. - - 192.

IV. EVERHARDI OTTONIS, JCti Duisburg. Florentiſſimi, Orat. I. DE STOICA VETT. JCTORVM PHILOSOPHIA, ibid. anno 1714. recitatæ, & inter Ejusd. Diſſertat. Amſtelod. anno 1723. editæ;

Pag. 193. - - 266.

V. Ejusd. Orat. IIda DE VERA, NON SIMVLATA, JCTORVM PHILOSOPHIA, hab. Traj. B. 1722, & inter Ej. Diſſert. Amſtel. 1723. editæ.

Pag. 267. - - 340.

VI. CORNELII VAN ECK, JCti Vltra-

trajeċt. ORAT. DE RELIGIONE ET PIETATE VETT. JVRECONSVLTORVM, ibid. 1717. habitæ;

Pag. 341. - - 360.

VII. JO. SAM. HERING, Profeſſ. Gymnaſ. Sedin. DISS. DE STOICA VETT. ROM. JVRISPRVDENTIA, edini 1719.

Pag. 361. *ſeqq.*

Collectio hæc non ingrata erit iis, qui hiſtoriam juris, & nativam LL. interpretationem amant, cujus proxima erunt hæc, quæ collegi, opuſcula, ſubſidia, quibus inſtructi abditas & difficillimas leges penetrare,& ad elegantiorem juris ſcientiam pervenire poterunt, imprimis, ſi Ampliſſ. Viri, CHRIST. GOTTL. BVDERI, Sereniſſ.Sax. Ducum in Acad. noſtra Bibliothecarii digniſſimi, exquiſitiſſimam collection. quorund. celeb. JCtor. de METHODO STVDIOR. IVR. opuſculorum, hisce nundinis Lipſ. editam, cum hac noſtra collatione jungent. Sed vino vendibili non opus eſt hedera. Scrib. in Acad. Jenenſi menſ. April. A. O. R. 1724.

GOTTL. SLEVOGTIVS.

CHRI-

CHRISTIANI OTTONIS A BOECKELEN

TRACT.

DE

DIVERSIS FAMILIIS VETERVM ICTORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD

LECTOREM

PRÆFATIO.

QVod præcocibus ingeniis familiare eſt, ut raro conſeneſcant, plerumque vix ultra adoleſcentiam annos producant, quemadmodum herbarum, fruticum, arborum quarundam exemplis natura docet, in hominibus quotidiana teſtatur experientia. Id auctori quoque harum diſſertationum, fratri quondam meo cariſſimo, eveniſſe, haud ſine dolore compertum eſt ſuperſtitibus ipſius parentibus, fratribus, propinquiſque omnibus. Vix pubertatem attigerat, cum ad humaniora, omniſque politioris literaturæ ſtudia velut materia ductus, illico Epiſtolas, Orationes, Verſus conſcriberet ſatis eleganter; certe ultra ſpem & fidem Parentis juxta & Præceptorum.

Digitized by Google

Animadverterat in Bibliotheca Præceptoris, Viri in Græcis pariter & Latinis exquiſite docti, paulo poſt Medici inſignis, adverſaria, omnis antiquitatis elegantiarumque velut apiarium, ſex ſeptem Voluminibus collectum. Ejus inſpectione ſibi commiſſa adeo delectabatur, ut & ipſe ille ſimile aliquid tentaret ſuo marte ſparſim, ex omni lectione ſeu injuncta ſeu ſpontanea. Ac proficiebat iſto ſtudii genere in literis, adeo quidem, ut & de Politicis rebus ſeu Epiſtolam, ſeu oratiunculam, ſeu carmen, quale ab ætate ejus nemo exſpectaverat, Præceptoribus quidem vim ingenii præmaturam haud parum admirantibus, conſcriberet ultro. Decimo quinto ætatis anno ſtrenæ loco offerebat Patri libellum de Tyranno, ex recentioribus non ſolum rerum Politicarum ſcriptoribus, ſed ipſo Ariſtotele, Græcis ubique textibus adductis, accurata methodo collectum. Equidem jam tum typis publicis committere, tum famæ parandæ, tum ingenii in iſto ſtudiorum curſu confirmandi gratia, ſuadebant Præceptores; ac obtinuiſſent, niſi pater, omnis oſtentationis adverſator, inhibuiſſet. Paulo poſt Epithalamium edebat, nuptialibus tædis Conſulis, in urbe Imperii Romani primaria, & generis

neris

neris claritudine & meritis in Remp. ejusdem Civitatis primarii, quintum nuptias iterantis, Viri cætera & viſu vultuque & corporis majeſtate moribusque graviſſimi, quem ob ejusmodi animi corporisque dotes Catoni comparabat, Romanis faſtis hiſtoricisque celebrato, Carmine tam venuſto, ſimul & cum argumenti gravitate interdum aſſurgente, ut cum ſeculi noſtri Poëtis aliquando certare poſſe videretur. Helmſtadienſi deinde, Heidelbergenſi & Argentoratenſi Academiis, integro luſtro innotuit. Cumprimis autem Boeclerus eum Argentorati non ſolum intima admiſſione habuit, ſed & omnibus viris Doctis commendavit. Ibidem priores duas diſſertationes, de Sectis Veterum Jurisconſultorum, & de Orationibus Principum in Senatu Romano, quæ hodiernis Sac. Cæſ. Majeſtatis propoſitionibus, ut vocamus, in Comitiis Imperii ſunt perſimiles, poſtea tertiam, de Æmulatione Imperiorum alio loco, ultimam denique de Exceptionibus tacitis Jenæ, ubi tum verſabatur, edidit. Jamque diverſis in locis ei patebant occaſiones, de Patria, h. e. Germania noſtra, publice merendi; cum a Sereniſſimo Duce Saxoniæ inferioris ad Conſilium regiminis ſui, quod Rutzeburgi

eſt, vocaretur. Aſt, proh dolor, vix anno officio præfuit, cum vita hac officioque ſimul defunctus, obiret. Hæc obiter ſcire te volui, Lector benevole, hisque valere jubeo, & pie defuncti fratris non ſolum, ſed & Boekeliani nominis memoriam conſervare ut ſtudeas, rogo.

Dabam Helmſtadii
d. 14. Nov. 1677.

IOANNES GOTHARDVS
DE BOECKLEN, IC.
& Profeſſor Extraordinarius, Moralium vero & Politicorum
Ordinarius.

LECTO-

Digitized by Google

*** *** ***

LECTORI BENEVOLO
IO. HENR. BOECLERVS
S. P. D.

CHriſtianus Ottho Boeckelius, Parentis ad omnem virtutis, doctrinæ, tractandæ Reipublicæ laudem inter præcipua noſtri ævi nomina provecti, Filius, indolis & diſciplinæ paterna ex domo acceptæ, pluresque per Academias excultæ, aſſiduiſſime memor, tum in cæteris ſæpientiæ ſpeciminibus, tum in conjungenda cum illuſtriſſimo Juriſprudentiæ ſtudio hiſtoriarum & civilium artium peritia, ita ſe hactenus in noſtra Academia adhibuit, ut exempla ſuperioris & ſtrenui temporis non æmularetur modo feliciter, ſed ad inſequentis memoriam incrementi, ultro proferret, novitate profectum atque propagaret. Cujus rei pulcherrimum tulit nuper fructum, quando conſcriptam de *Veterum Juriſconſultorum Sectis* diſſertationem, ſub auſpiciis Nobiliſſimi Ampliſſimique REBHANII, Juriſconſulti ſui Ordinis princi-

pis, more Academico publicanti, quicquid eſt doctorum & ſtudioſorum hominum, applauſit magna lubentia, & macte ac belle acclamavit. Nunc iterum, quæ de *ORATIONIBVS PRINCIPVM* hiſtoria & antiqui memoria temporis ſuppeditat, meditatus, compoſito erudite libello, e cathedra Academica propugnando, me optavit Moderatorem: non tam, quod opus haberet, quam quod conſuetudini parendum exiſtimaret. Reliqui, ut obtulerat, omnia, absque ulla interpolatione: ratus, præclaris ingeniis & familiares & utiles ſecundarum curarum cogitationes, ad perpolienda & abſolvenda, quæ ſemel ſub acumen ſtili venerunt, dehinc ſubnaſci, &, quo tendendum eſt, proficere. Sicut autem de exoptato hujus laboris ſucceſſu nulla cuiquam dubitandi cauſa datur; ita Ampliſſimo Parenti gratulandum eſt, de Filio ad decus & laudem recto itinere graſſante. Faxit Deus, ut propria perpetuaque *BOECKHELIANO* nomini illa contingat ac perennet felicitas. Vale Lector Benivole. Argentor, 15. Sept. A. 1666.

I. N. I.

Digitized by Google

I. N. I.

DE

FAMILIIS DIVERSIS VETERUM JCTORUM.

CAP. I.

De controverſiis Veterum Jureconſultorum ſub libera præcipue Republ. & de fori diſputationibus eorum.

CIrcumſpicienti mihi veterum Jureconſultorum controverſias, non ejusdem generis omnes fuiſſe, ſed ex variis cauſis ac circumſtantiis enatæ, partimque ex occulta quadam æmulatione, partim ex diverſo Jus & æquum interpretandi modo, dum alii rigidiores paullulum ſtrictæ quantum licebat juris rationi adhæreſcerent, alii in æquitatem procliviores eſſent, potiſſimum vero ex diverſis diſſentientium familiarum ſtudiis ſectisque profectæ videntur. Quantum ad eas, quas priori loco recenſuimus, pauca ſaltem deliba-

Digitized by Google

re fas eſto, cum non adeo ab inſtituto ſint & ἀπροσδιόνυσα.

Ac principio quidem ſub primis Juriſprudentiæ noſtræ incunabulis, quo tempore adhuc anguſtis admodum LL. XII. tabb. finibus continebatur, non deerant præclara quædam ingenia, quæ ad excolendam rudem adhuc & inconditam hanc ſcientiam laudabili cupiditate ferebantur, ita ut ex eo ſuas paullatim porrigeret regiones, donec provecto tempore in eam excreverit molem, ut magnitudine tandem ſua laborare cœperit. Inter prima ejus incrementa erant fori diſputationes, quas ipſas luculento ſatis argumento eſſe, etiam inter remotioris ævi Juriſconſultos diſſidia interceſſiſſe, nemo ambiget: De illis *Pomponius in l. 2. §. 5. de O. I.* (*ut Goveano lib. 1. var. lect. cap. 24. legitur*) *His Legibus latis cœpit* (*ut naturaliter evenire ſolet*) *cum interpretatio deſideraret prudentium auctoritatem, diſputatio fori.* Quæ fuerit hæc fori diſputatio, & in qua re conſtiterit, parce admodum oſtendunt, qui hanc Pomponii L. illuſtrarunt, *Coccejus*, *Rupertus*, *Sithmannus*, *Muretus*, & allii, qui hiſtoriam juris conſignarunt. Non parum hic aberraſſe videtur *Jac. Ravard. de auctorit. prud. cap. 14.* ubi eam fo-

ri

Digitized by Google

ri diſputationem fuiſſe ait, quando Juriſconſulti a Principibus conſulebantur, & de quæſtione dubia coram eo decertabant: ſed neque hæc ſub Principibus vera illa fuit fori diſputatio, & quam ergo ſub libera Rep. nobis exhibet? Magis rem tetigiſſe videtur *Hotomann. in Juriſconſulto ſuo*, ubi Juriſconſultor. veterum ſub libera rep. partes & munera explicat. Cæterum cum ſub libera republica jurisprudentia nondum eſſet facta mercenaria, ſed qui erant in civitate viri Principes, illam non vilis lucelli gratia, ſed honoris gloriæque ſtudio excitati, certatim amplecterentur, non privatim ſolummodo, ſed publice docebant, reſpondebant, diſputabant. Teſtis *Cicero in Oratore pag. 262. Cum igitur*, inquit, *jus civile docere ſemper pulchrum fuerit, hominum clariſſimorum floruerunt domus:* (paulo poſt) *reſpondentem ſat erat audire, ut, is qui doceret, nullum ſibi ad eam rem tempus ſeponeret, ſed eodem tempore & diſcentibus ſatisfaceret, & conſulentibus.* Quinimo peculiares ſuas in foro habuiſſe ſtationes, docet *Gellius Noct. Att. lib. 13. cap. 13. Cum ex angulis*, inquit, *ſecretisque librorum ac magiſtrorum in medium jam hominum & in lucem fori prodiiſſem, quæſitum memini in plerisque Roma*

mæ ſtationibus jus publice docentium ac reſpondentium. Harum quoque diſputat. meminit *Cicero in Topic. ad Trebat. Hoc diſſerendi genus attingit veſtras quoque in reſpondendo diſputationes.* & *Aſconius Ped. in Verrin. 3. Maleficia ſponte, non diſputatione Juriſconſultorum, fugienda ſunt.*

Exſtat hujus moris elegans exemplum apud *Cic. de Orator. lib. 1. p. 132.* ubi Antonius: *Audivi*, inquit, *acceſſiſſe ad Craſſum conſulendi cauſa quendam ruſticanum, qui cum Craſſum ſeduxiſſet, adque ad eum retuliſſet, reſponſumque adeo verum magis quam ad rem ſuam accommodatum abſtuliſſet, & eum triſtem Galba vidit, nomine appellavit, quæſivitque qua de re ad Craſſum retuliſſet; ex quo ut audivit, commotumque vidit hominem, ſuſpenſo, inquit, animo & occupato Craſſum tibi reſpondiſſe video. Deinde ipſum Craſſum manu prehendit: Et heus tu, inquit, quod tibi in mentem venit ita reſpondere? tum ille fidenter homo periti ſſimus confirmare, ita ſe rem habere, ut reſpondiſſet, nec dubium eſſe poſſe: Galba autem alludens varie & copioſe multas adferre ſimilitudines, multaque pro æquitate contra jus dicere, atque illum cum diſſerendo par eſſe non poſſet, ad auctores confugiſſe, &c.*

Huc

Huc referendas quoque eſſe non dubito diſputationes, quæ coram judice fiebant a diverſarum partium Patronis, cujus moris illuſtre veſtigium eſt apud *eund. pro Cæcinn. p.* 236. Dicebantur hæ fori diſputationes Jus Civile, anguſtiſſima earum vocum notione, *Pomp. d. l.* 2. *de O. I.* §. 5. quod & Ciceronis teſtimoniis confirmant *Muretus ad h. l. Pomp. itemque Bachovius, Sigonius de Ant. Jure C. Rom. lib.* 1. *cap.* 5. Eadem pariter ut & cætera prudentium interpretatio, media Jurisprudentia dicitur. *Zaſius* quidem *l.* 1. *ff. de legat* 1. *n.* 3. 4. *& ſeqq.* circa jurisprudentiam *ait* primo conſiderari tempora Regum, quæ in jure noſtro nunquam attendantur, ſecundo tempora a LL. XII. tabb. quæ vetuſtiſſima Jurisprudentia dici poſſit, quæ usque ad Ciceronis tempora duraverit, quæ inde ſecuta ad Trajanum, veteriorem dici, denique ſuccesſiſſe fœturam Jurisconſultorum Pauli, Papiniani, Vlpiani, quæ media Jurisprudentia dicatur. Et iſta quidem ſibi fingit ſomnia, nullis aut certe exiguis argumentis ſubnixa. Alii ad Conſtantinopolitanos Impp. mediæ Jurisprudentiæ tempora producunt, quos ſane quis neget ἀιιςορησίας culpa carere? Ecquos enim a Gordiani temporibus ad Conſtantinum usque no-

novimus Juriſconſultos, qui parem cum veteribus auctoritatem habuerunt. Sed tutius hic arbitror menti Imperatoris inhærere, qui §. 3. *Inſt. de legit. agn. ſucceſſ. Media autem*, inquit, *jurisprudentia, quæ lege* XII. *tabb. erat junior, imperiali autem diſpoſitioni anterior;* quibus nimirum ſaniori interpretatione eos ſaltem Juriſconſultos comprehendi, qui a LL. XII. tabb. ad tempora Impp. usque floruerunt, exiſtimamus: Confer *Aurel. Galvan. de uſufruct. cap. 6. & Magnif. D. Rebban hodeg. jur. chart. 2. Clim. 3. parall. 17. n. a.* Cæterum illud dubio non vacat, quod *Galvan. dict. tract. 4. num. 9.* aſſerit, per *Veteres* in ff tis plerumque mediæ jurisprudentiæ auctores intelligi; utcunque enim id nonnunquam fieri non diffiteamur, attamen & primi illi, qui Impp. temporibus vixerunt, hoc nomine veniunt, illi imprimis, qui ſectarum Principes fuerunt. Idcirco melius *Cujacius in l. 37. ff. de uſurpat. & uſucap.* ex veteribus ultimos eſſe ait Sabinum & Caſſium. Sic enim in lege illa: *veterum ſententia abolita eſt, fundi furtum fieri poſſe.* Fuit autem illa Sabini imprimis, ut ex §. 7. *Inſt. de furt.* notum. Sic & in *l. 3. §. 19. ff. de acquir. vel am. poſſeſſ. Plerique veterum & Sabinus & Caſſus putaverunt.*

runt. & in l. 31. ff. ad L. Falcid. ſecundum Caſſii & veterum opinionem. Atque ita in ſententiam noſtram facit *l. 1.* §. *9. ff. ad d. l. Falcid.* ubi juriſconſultus, *Veteres,* inquit, *æſtimandum totum uſumfructum putabant, & ita conſtituendum quantum ſit in legato, ſed Ariſto a veterum opinione receſſit.* Hinc apparet, poſteriores quidem in ffts non amplius veteribus accenſeri. Vixit autem Ariſto ſub Trajano, ut ex *epiſt. 2. lib. 1. Plinii* conſtat. Imperatores poſtea omnes illos, qui tam ſub libera republ. quam ſub Principibus floruerunt, Juriſconſultos hoc nomine complectuntur. Patet id ex §. *3. Inſt. de donat.* ubi ait: *Eſt & aliud quoque donationis genus, quod veteribus quidem prudentibus penitus erat incognitum, poſtea vero a junioribus D. Principibus introductum.* Primus vero, qui hoc jus induxit, fuit Conſtantinus *l. 8. Cod. de donat. ante nupt.* Eſt & hanc in rem clariſſima *l. 22. Cod. de furtis,* ubi Imperator Salvium & Papinianum inter antiquos recenſet.

Superſunt etiam nonnullæ controverſiarum, a mediæ juriſprudentiæ auctoribus agitatarum, reliquiæ, qualis illa fuit inter M. Manilium & Lælium Brutum, Vlpiano *in l. 68. pr. ff. de uſufr.* relata: cujus & *Cicero lib.*

Digitized by Google

lib. 1. de fin. p. m. 41. meminit: *An partus Ancillæ ſit in fructu habendus? differebatur inter Principes Civitatis, P. Scævolam. M. Manilium, ab hisque M. Brutus diſſentiebat.* Q. Mucii & Sulpicii controverſia de ſocietate inæquali quoad lucri & damni perceptionem attingitur *in l. 30. ff. pro ſocio,* & exponitur etiam *in §. 2. Inſt. de ſocietat.* Aliam quæſtionem inter Brutum & Scævolam varie tractatam, an ſcil. qui hoſtibus deditus reverſus, nec a Romanis receptus eſſet, civis eſſet, adfert *Modeſtinus in l. 4, de captiv. & poſtlim. reverſ.* Q. Mucii & Galli cum Servio & Ofilio controverſiam exhibet *Labeo in l. 29. ff. de legat. 3.* Atque publicas haſce fori diſputationes nec ſequenti Impp. tempore plane in deſuetudinem abiiſſe, ut alia omittam, vel inde patet, quod Juriſconſulti illi poſterioris ævi diſputationum publice tractarum integros conſcripſerint libros. Cujus farinæ Scævola unum edidit, vt ex catalogo Juriſconſultorum conſtat, Vlpianus vero decem, qui etiam allegantur a Diocletiano & Maximino Impp. *in l. 11. Cod. de quæſtionibus.* Cæterum, hi vero etiam nonnunquam coram Principe, cum de cauſa aliqua cognoſcebatur, in varias ibant ſententias. *Vid. Cujac. obſ.*

Digitized by Google

obſ. 18. c. 32. Pater hoc ex celeberrima, & quæ perpetuam interpretibus crucem figit, *l. 40. ff. de rebus credit.* Cui geminum exſtat veſtigium in *l. 43. ff. de act. empt.* ubi Paulus: *Lectum*, inquit, *eſt reſponſum Domitii Vlpiani;* ſed opponit ibidem ſententiam Juliani, eamque vt veriorem probat.

Penes Imperatorem tandem litis erat arbitrium, qui conſilium, quod ſibi videbatur magis in rem præſentem eſſe, ſequi ſolitus: Quemadmodum ex conſilio Neratii & Ariſtonis D. Trajanum aliquando reſpondiſſe, refert Papinianus in *l. ult. ff. ſi a parente quis manumiſſ.* Et *Vlpianus in l. 3. ff. de teſtam. militis* D. Marcum aliquando ſecundum ſententiam ſuam reſcripſiſſe, gloriatur. Vtcumque autem de hiſce confitendum ſit, diverſas eorum opiniones ex ſectarum ſtudio propullulaſſe, ita de illis, qui ſcilicet ſub libera republ. vixerunt, dubium non eſt, quin ex ſola æmulatione, aut prout quisque vel in æquitatem vel inſtrictiorem juris rationem pronior fuerit, promanarint. Sepoſitis igitur hiſce, de quibus paucula hæc præmiſiſſe fraudi non erit, ad id, quod diſſertationis noſtræ caput eſt, ſectarum nempe diverſarum hiſtoriam penitius evolvendam, procedamus.

Digitized by Google

CAP. II.

Generalia quædam de Juriſconſultorum ſectis, tum de earum origine ac primis auctoribus.

MOre Juriſconſultorum, de quibus etiam nunc agimus, de voce SECTA principio ſollicitos nos eſſe convenit. Vſus enim hoc vocabulo ad hanc rem ipſe *Pomponius l. 2. de O. I.* §. *47.* Definit ſectam *Iſidorus lib. 8. Orig. cap. 3. Secta*, inquit, *eſt a ſequendo & tenendo nominata, nam ſectas dicimus habitum animorum, & inſtituta circa diſciplinam vel propoſitum tenendo ſequuntur.* Similiter & *Diog. Laërt. procem. circa fin.* Αἵρεσιν δὲ λέγομεν τὴν λόγῳ τινὶ κατὰ τὸ φαινόμενον ἀκολουθοῦσαν ἢ δοκοῦσαν ἀκολουθεῖν καθ' ὃ εὐλόγως ἂν αἵρεσιν τὴν σκεπτικὴν καλοῖμεν. Primo id Philoſophis tributum, quorum ſectas eleganter *Cicero de Orat. lib. 3. cap. 16. familias diſſentientes* vocavit: *Socraticam domum* dixit *Horat. lib. 1. od. 29. & larem Socraticum 1. Epod. 1. verſ. 13.* Sectæ autem vocabulo de Philoſophis uſus quoque *Claudian. in paneg. Mall. verſ. 60.*

Omnia

Omnia Cecropiæ relegis ſecreta ſenectæ,
Diſcutiens quid quisque novum mandaverit ævo.
Quantaque diverſæ producant agmina ſectæ.

Tacit. annal. 6. cap. 22. ſapientiſſimos veterum, quique ſectam eorum æmulantur, diverſos repertas. Et ſic quoque vocem hanc uſurpavit *Papinianus in l. 8. §. 4. ff. de vacat. & exc. num.* Exſtitiſſe autem ejusmodi inter Juriſconſultos diverſas ſectas ſeu diſſentientes familias, præcipuus nobis auctor eſt *Pomponius in l. 2. de O. I. §. 47. Hi duo,* inquit, (*Attejus & Labeo*) *primum diverſas ſectas fecerunt. Nam Attejus Capito in iis, quæ ei tradita fuerant, perſeverabat, Labeo ingenii qualitate & fiducia doctrinæ, quia & cæteris operis ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit, & ita Attejo Capitoni Maſſurius Sabinus ſucceſſit, Labeoni Nerua, adhuc diſſenſiones auxerunt.* Teſtis etiam *Venulejus in l. 138. ff. de Verbor. Obligat. Eum,* inquit, *qui certarum nundinarum diebus dari ſtipuletur, primo die petere poſſe, Sabinus ait: Proculus autem, & cæteri diverſæ Scholæ auctores, quamdiu vel exiguum tempus ex nundinarum ſpacio ſupereſſet, peti poſſe exiſtimant.* Indicat eos

quoque *Imperator* §. 2. *de empt. vendit. Sabinus & Caſſius etiam in alia re putabant, pretium poſſe conſiſtere: Diverſæ Scholæ auctores contra ſentiebant: & in* §. 8. *de mandat. Sabino & Caſſio placuit, ſed diverſæ Scholæ auctores recte.* Oſtendunt idem & Juriſconſulti plerumque, cum his fere formulis utuntur: *Magna dubitatio fuit, l.* 73. §. 1. *ad L. Falcid. Verior eſt diverſa ſententia exiſtimantium, l.* 11. §. 6. *eod. ſublata eſt dubitatio eorum, l.* 1. §. 3. *ad SC. Trebell. non immerito dubitabatur, l.* 28. *pr. ff. eod. quibusdam exiſtimantibus, aliis contra, l.* 17. *ff. delegationibus. Illud tractatum eſt, l.* 9. §. 2. *ff. de ſtatu liberis. Scio tractatum & plerique probant, l.* 2. §. 3. *ff. ne quid in loco publ. apud veteres varium fuit, l.* 139 *ff. de verb. oblig. Etſi in dubitationem hoc a quibusdam male deducatur l.* 67. *ff. de ſolut. & liberat.*

Primi quidem poſt reſtitutam Romano Germanoque orbi juriſprudentiam Romanam interpp. *Accurſius, Bartolus, Baldus, Caſtrenſis, Jaſon, Ripa,* hanc rem ne attigerunt quidem. *Accurſius ad l.* 1. §. *ſed an ff. de contrah. empt.* ad controverſiam Sabinianorum cum Proculejanis illud ſuum *male* adjicit, quod ſolenne ipſi in illis, quæ

parum

parum aſſecutus eſt, unde illud *male ſecundum Accurſium. vid. Alciat. 2. prætermiſſ. in h. t. Buda. ad h. l. 1. de contrah. empt.* Qualem hiſtoriæ imperitiam ubique fere, cum in ſubſidium advocanda eſſet, deprehendas licet in illis Interpp. ſua alioquin laude non fruſtrandis. Primus uti inter omnes *ill*orum temporum Jurisconſultos melioris literaturæ facem iterum alluxit jurisprudentiæ, & eam ſitu ſqualore obſitam nativæ dignitati ſuæ reſtituere aggreſſus eſt, ita & *h*anc Pomponii legem non ineleganti commentario illuſtravit Zaſius, & ſectarum hiſtoriam quodammodo explicuit. Cæterum de earum ſerie compendioſam conſignarunt tabellam *Contius 1. ſubciſ. 2. Gothofred. in man. jur. Coccej. ad l. 2. ff. O.* qua tamen illi ſolum, quos Pomponius recenſuit, comprehenduntur. Eam & hic apponere placet.

SABINIANI *Caſſiani.*	PROCVLEJANI *Pegaſiani.*
Sub Auguſto.	
Attejus Capito.	Antiſtius Labeo.
Sub Tiberio.	
Maſſurius Sabinus.	Nerva Pater.

Digitized by Google

Sub Cajo, Claudio, Nerone.

Caſſius Longinus. Nerva F.
Pegaſus.

Sub Veſpaſiano.

Cælius Sabinus. Proculus.

Sub Traj. Adriano, & Ant. Pio.

Priſcus Javolenus. Celſus P.
Alburnius Valens. Celſus F.
Tuſcianus. Priſcus Neratius.
Salvius Julianus.

Primos igitur diverſarum factionum Principes fuiſſe Attejum Capitonem & Antiſtium Labeonem, conſtat, ac illum quidem Sabinianæ, hunc vero Proculejanæ ſcholæ auctorem. In cauſas harum diſſenſionum inquirentibus, eas partim ſuppeditat *Pomponius*. *Capito*, inquit, *in his, quæ ei tradita erant, perſeverabat, Labeo ingenii qualitate & doctrinæ fiducia, quia & cæteris operis ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit:* Non abſimilis origo harum diſſenſionum fuit, quam quæ Philoſophorum, Academicorum cum primis. Æque enim ex Platonis Schola prodierunt Xenocrates & Ariſtoteles: Ille quidem Præceptoris ſui inſiſtebat veſtigiis, hic vero novam ſibi

ſibi diverſamque elegit viam, unde prima Academiæ veteris novæque initia. *Vid. Cicer. de Orat. lib. 3. cap. 16. & 17. Lipſium 1. manud. ad Stoic. Philoſ. diſſ. ult Voſſium in diſſ. de ſectis Philoſoph.* Cæterum, quæ Labeonem inter & Capitonem exſtitere controverſiæ, maximam partem inde ortas ſuſpicari licet, quod ingenio etiam erant quam diſſimillimo. Labeo quidem vitæ ſeveræ, & ad Stoicam auſteritatem cumpoſitæ, Capito autem Principum auræ velificatus, plus quam vernili adulatione famam ſuam nomenque defœdavit. Labeonem enim Stoicis addictum fuiſſe, ſane multa ſunt quæ probant: Trebatium namque Præceptorem habuit, quem ipſum quoque Stoicorum præceptis imbutum fuiſſe, non male quis colligat ex illa cavillatione *Cicer. lib. 7. ad famil. epiſt. 16. Balbus mihi confirmavit, te divitem futurum, id utrum Romano more locutus, bene nummatum te futurum, an, quemadmodum Stoici dicunt, omnes eſſe liberos, qui cœlo & terra frui poſſunt.* Illud quoque a Stoicis hauſiſſe Labeonem, fit veriſimile, quod verborum adeo curioſus fuerit, quem Stoicorum fuiſſe laborem, ex præcipuis oſtendit, taxatque *Seneca* ipſe *epiſt. 45.* Labeoni autem idem tribuit *Gellius lib. 13.*

Noct. Att. cap. 10. Immodica quoque libertas, qua in Principes utebatur, ſatis arguit Stoicam indolem: Nulli enim magis Principum ſe conatibus oppoſuerunt, quam illi, qui Stoicam ſectam profitebantur, ut obſervat *Chriſtoff. Adam Rupertus ad Valer. Max. lib. 8. cap. 14. num. 8.* Quod ſe hac libertate Labeo quoque efferre ſolitus fuerit, idcirco dictus creditur ab *Horat. lib. 1. ſat. 3.* inſanus. *Vetus Scholiaſt. ibi: Labeo memorata libertatis jurisperitus;* inquit. Ejus παῤῥησίας exempla proſtant apud *Sueton. Auguſt. c. 54. Dion. Caſſ. lib. 54. p. 330.* Ipſe quoque Attejus hoc in illo reprehendit apud *Gellium lib. 13. Noct. Att. cap. 12. Labeo Antiſtius*, inquit, *legum atque morum P. R. jurisque civilis apprime doctus fuit, ſed agitabat hominem libertas quædam nimia, atque vecors, usque eo, ut, D. Auguſto jam Principe rempubl. obtinente, ratum tamen penſumque nihil haberet, niſi quod in antiquitatibus Romanis legiſſet.* Atque ita Stoica Philoſophia ad ſucceſſores Labeonis, Proculejanos ſcilicet, propagata fuit, iique præ cæteris ad illam ſe applicarunt, magis etiam quam Sabiniani, ut erudite obſervat *Emund. Merill. obſerv. lib. 2. cap. 4.* Hinc Sabinianis Stoicos fuiſſe infenſos, ac quo potuerint modo

modo eos ſugillaſſe, veriſimile eſt. Non caret cavillatione illud *Arriani lib. 4. diſſert. Epictet. cap. 3.* ubi cum dixiſſet, *liber ſum & amicus Dei*, ſubjungit: *Hæ ſunt illinc miſſæ leges, hæc edicta, horum interpretem eſſe decet, his parere, non Maſſurii, non Caſſii præceptis.* Nec ab ironia abeſt illud *Perſii ſat. 5.*

Vindicta poſtquam meus a Prætore receſſit.
Cur mihi non liceat, juſſit quodcunque voluntas,
Excepto ſi quid Maſuri rubrica notavit.

Diverſitatem ingeniorum Labeonis ac Capitonis exinde etiam licet perſpicere, quod cum Capito honorum fuerit appetentiſſimus, Labeo contra delatos ſibi quoque repudiaverit. Teſtatur enim Pomponius, eum, cum Cos. ſuffectus ab Auguſto deligeretur, hanc dignitatem detrectaſſe: Cauſam allegat hanc *Bertrand. in Labeon.* quod ominoſum forte fuerit, in demortui Conſulis locum ſuccedere, quemadmodum id in Cenſura obſervatum. Sed longe alia ratio erat hac in parte Cenſuræ & Conſulatus. Cauſas enim peculiares, quare id in Cenſura non factum, exponit *Livius lib. 5. cap. 31. lib. 6. c. 27. lib. 9. c. 34.* quæ Conſulatui accom-

modari nequeunt. Noti quippe moris apud Romanos fuit, ut in demortui Cos. locum alius ſufficeretur: Sic enim & Auguſtum ſe ipſum in locum Panſæ & Hirtii conſulem feciſſe, ſcribit *Tacitus in Orat: cap. 17. num. 2. & Claudio Sueton. in vit. cap. 14.* novo circa Principem exemplo in locum demortui conſulis ſuffectus. Sed & ille error eſt Bertrandi, quod putet, in demortuorum ſaltem Coſſ. locum qui ſurrogabantur, *ſuffectos* fuiſſe dictos. Antiquitas aliud nos docet. Erant enim *ſuffecti*, qui in quorumvis Coſſ. ſeu mortui ſeu proſcripti erant, ſeu morbo ab officio detinebantur, locum ſurrogabantur. *Vid. Onuph. Panvin. comm. ad faſt. pag. 57. & ſeqq.* Alii comminiſcuntur hanc rationem, quod eam dignitatem, ut non adeo magni æſtimatam, ſe inferiorem duxerit Labeo. Nota enim eſt querela illa apud *Senec. de tra. lib. 3. cap. 31.* *Tanta tamen importunitas hominum eſt, ut quamvis multa accipiant, injuriæ loco ſit, plus accipere potuiſſe: Dedit mihi præturam, ſed conſulatum ſperaveram, dedit 12. faſces, ſed non fecit ordinarium conſulem.* Sed neque hoc Labeonem, non usque adeo ambitioni deditum, deterruiſſe arbitror; forſan autem, ne a ſtudiis ſuis detineretur, cum ad publica

diver-

diverti negotia opus eſſet, iſtum declinavit honorem. Scribit enim Pomponius, *eum annum ita ordinaſſe, ut Romæ ſex menſes eſſet, & conſulentibus reſponderet, ac ſex menſes ſecederet, ſtudiisque operam daret.* Quales ſeceſſus Romæ multis Clariſſimis viris in uſu fuiſſe, ſuo multoties & aliorum exemplo teſtatus eſt Cicero. Et extat ejus rei quoque veſtigium *in l. 21. §. ſi arbiter ff. de recept. arbitr.* ubi Vlpianus: *Arbitri,* inquit, *qui in eo loco, qui ſit circa urbem, adeſſe litigatores juſſerint, ſi ejus auctoritatis ſit, ut in ſeceſſibus agere ſoleat.*

Quod porro Capitonem attinet, mores ejus ac ingenium tam diſſidebant a Labeone, quam a cœlo terra. Enimvero Attejus hic usque Principum captare gratiam, eorumque nutibus intentus, quibus artibus favorem ſibi conciliaverat, iisdem eam conſervare erat ſollicitus. Componit eorum ingenia *Tacit. Annal. lib. 3. cap. 75. Et Capito Attejus,* inquit, *de quo memoravi, principem in civitate locum ſtudiis civilibus aſſecutus, ſed avo Centurione, Syllano patre Prætorio, conſulatum ei acceleravit Auguſtus, ut Labeonem Antiſtium, iisdem artibus præcellentem, dignitate ejus magiſtratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora*

ſimul

ſimul tulit: Sed Labeo incorrupta libertate ob id fama celebratior, Capitonis obſequium dominantibus magis probabatur: illi, quod praturam intra ſtetit commendatio ex injuria, huic, quod conſulatum adeptus odium ex invidia oriebatur. Adfert adulationis illius exemplum *Idem Annal. 3. cap. 70.* Vbi hoc adſpergit emblema: *Capito inſignitior infamia fuit, quod humani divinique juris ſciens, egregium publicum, & bonas domi artes dehoneſtaviſſet.* Aliud exemplum eſt apud *Sueton. de Grammat. cap. 22.* Atque ita uterque ad extrema deflexit, neuter media ingreſſus via: Capito quidem prudens dicendus fuiſſet, ſiquidem obſequium illud decora quadam modeſtia temperare gnarus fuiſſet: Labeo vero ἀπολιτικός plane, bonus vir eſſe maluit, quam bonus Civis. Ita neuter probe didicit, quomodo ſub Tyrannis etiam ſine famæ diſpendio, nec tamen alieno eorum animo, vivere liceat. Quam artem egregie *Tacit. Annal. lib. 1. cap. 20.* oſtendit. *Aut*, inquit, *forte licet, inter abruptam contumaciam & deforme obſequium pergere iter, periculis & ambitione vacuum.* A quibus artibus ſuum commendavit Agricolam *Idem in vit. ej. cap. 45.* Vt ad Capitonem revertar: Fuit is Coſ. cum Vibio

Poſt-

Poſthumio, ſed uterque ſaltem ſuffectus, ut ex inſcriptione quadam oſtendit *Rupert. p.* 427. indeque Tacitus acceleraſſe ei ſcribit Conſulatum Auguſtum. Fuerunt autem eo anno ordinarii Coſſ. M. Æmilius Lepidus, & L. Arruntius. Cæterum Capitonem in locum M. Æmilii ſucceſſiſſe, idque paullo ante quam Vibius conſulatum adeptus, neceſſum eſt. Erroris enim alias convinceretur *Tacit.* qui *lib. 1. ann. cap. 16.* Capitoni & Arruntio ut Conſulibus mandatum fuiſſe ſcribit coërcendi fluminis remedium: Inſigniter vero lapſi ſunt *Munetus* & *Forſterus*, quos idcirco notavit quoque *Rupertus*, qui, *Cuſpinianum* hic pariter erroneum plane ſecuti, hunc Capitonem fuiſſe aſſerunt, qui cum Germanico Coſ. fuit A. V. C. 765. Qui tamen *Dioniſ. lib. 56.* C. Fontejus Capito dicitur. Nihilominus hoc ſibi errore placuit etiam *Coccejus*, qui tamen & locum illum Dionis adducit, neque animadvertit, quod gentile nomen nequaquam conveniat, cum hic Capito e Fontejorum ſit familia: qui poſtea in Germania occiſus, quem *Tacit. hiſt. lib. 1. cap. 52. num. 1.* ſordidum & avarum dixit. Atteii vero Capitonis conſulatus meminit & *Vlpianus lib. 3. ad L. Jul. Pap. in l. 29. ff. de rit. nupt.* in eoque Legem tuliſſe, ait, ne invi-

invitam libertam uxorem ducere Patronus poſſet.

Cæterum ad diſſenſiones haſce acceſſit præterea quoque Labeonis καινοτομία & diſſentiendi ſtudium, quod in eo non mediocre fuiſſe, facile colligas. Videtur id nobis innuere velle *Javolen. in l. 25. ff. qui teſtam. facere poſſ.* ubi, cum primo Servii ſententiam expoſuiſſet, poſtea Labeonis limitationem adfert, ac ſubjungit: *Ego nec Servium puto aliud ſenſiſſe.* Argumento ſane certiſſimo nobis eſt, quod a Præceptoris ſui Trebatii ſententiis ut plurimum alienus, ſuis ipſe opinionibus mire delectetur. Exempla ejus rei videas licet in *l. 1. §. 41. ff. depoſiti. l. 11 §. 2. ff. de peric. & commod. rei vend. in l. ult. ff. de jure deliberandi. l. 31. ff. de uſu & uſufruct. leg.* Non nunquam tamen cum Trebatio ſenſiſſe etiam legitur, ut *in l. 6. §. 7. ff. de communi divid. l. 45. ff. de contrah. emp. l. 29. ff. eod. l. 13. §. 22. ff. de act. empt. l. 66. §. 1. ſoluto matr. l. 16. pr. de tritic. vin. leg. l. 40. §. fin. de condit. & demonſtr. l. 3. §. 11. ff. de ſtatu liberis.* Cum utroque Præceptore ſuo, & Trebatio & Ofilio, idem aliquando etiam reſpondit. *in l. 22. §. 10. ff. mandat.*

Atque ita Labeonem ab Attei Capitonis ut vitæ ratione plane alienus fuit, ita & ingenio

nio doctrinaque diſſimilimum oſtendimus, adeoque contingere facile potuit, id quod evenit, ut in ſtudiis etiam juris Civilis partim æmulatione, partim diſſentiendi ſtudio, in diverſas partes diſtraherentur. Cæterum hujus diſſenſionis nulla, quantum memini, in jure noſtro ſuperſunt veſtigia, quemadmodum nec Atteii Capionis ſcripta ad ff. tas. ne minimum quidem ſymbolum contulerunt. Ter tamen obſervavi ejus auctoritatem allegatam: A Proculo *in l. 3. §. fin. ff. de Legat. 3.* ac deinde a Paulo *in l. 2. §. 4. ff. de aqua & aqu. pluv. arcend.* demum a Labeone *in l. 79. ff. de jure dot.* Jam porro ad utriusque ſectæ familias nos conferamus.

CAP. III.

De Scholæ Sabinianæ Sectatoribus.

MASSURIUS SABINUS (ut vocatur *in l. 56. ff. locat. & a Marcello in l. 80. ff. de Legat. 1. rurſusque a Javoleno in l. 105. ff. de Verb. Oblig.* cum alias ſolo Sabini nomine vocetur) primus fuit, ut ex Pomponio conſtat, qui ſectas Capitonis propagavit. Dicitur *Athenæo in arg. operis ſui* νόμων ἐξηγητὴς, καὶ πάσης παιδείας οὐ παρέργως ἐπιμέλειαν ποιούμενος. *Et lib. 14.* Μασσούριος ὁ πάντα ἄριστος

καὶ

καὶ σοφὸς καὶ ἐδενὸς δεύτερ@. Præcipua hic Tiberii tempore fama floruit, cum ab eo primus publice ſcribendi copiam impetraverit. Vnde magna libris ejus acceſſit veneratio, qui ab ipſis Impp. allegantur *in l. 17. Cod. de uſufruct. & habitat. & in l. 14. Cod. de ſervit. & aqua.*

Commentatus etiam eſt ad Edictum Prætoris, quos libros Imperator in catalogo recenſere neglexit: quintum tamen Paulus *in l. ſuo victu ff. de operis liberterum* allegavit. Conſtituerunt libri illi decem partibus, quas refert *Giſanius in Oeconom. edict. perpet. p. 97.* Quem partium numerum tenere etiam voluit poſtea Julianus in Edicto ſuo perpetuo, hujus ſine dubio imitatione, quippe ejus ex ſchola deſcendens. Adſeſſoria ejus citat *Vlpian. in l. 5. §. 8. ff. de injur. & fam. libell.* Dicti ab ejus nomine fuerunt, qui eum ſequebantur, SABINIANI. Ita *Vlpianus in l. 11. ff. de donat. inter vir. & uxor. Placuiſſe ſcio* SABINIANIS: Et *Marcianus in l. 11. ff. de acquirend. rer. dom. Ita Sabinianis viſum eſt, quæ ſententia vera eſt.* Ipſe etiam Imp. Juſtinianus *in l. 3. Cod. de poſth. hered. inſtituend. Cumque* SABINIANI inquit, *exiſtimabant.* More nimirum ab antiquis Philoſophis petito: ſic de Menedemo Ertrienſi Ere-

Eretriaci dicti: *διὰ τὸ καὶ αὐτὸν κατάρχειν αἱρέσεως*, *Diogen. Laërt. in Phædon. in fin.* Et de Heraclito *idem in vit. p. 631.* Τοσαύτην δὲ δόξαν ἔσχε ὡς καὶ αἱρετιστὰς ἀπ᾽ αὐτοῦ γενέσθαι τοὺς κληθέντας ἡρακλειτείους. Sic de Rhetoribus Theodoro & Apollodoro *Quintilian. Inſt. Orat. lib. 3. cap. 1. Hi diverſas opiniones tradiderunt, appellatique inde Apollodorei & Theodorei, ad morem certas in philoſophia ſectas ſequentium.*

E Sabinianis præcipuus fuit *C. Caſius Longinus*, quem Sabini fuiſſe diſcipulum, ſatis oſtendit *l. 19. ff. de recept. qui arbitr.* Nec facile hic a Sabini principiis diſcedere ſolet, unde nihil frequentius in Jure noſtro, quam: Sabinum & Caſſium ita ſentire; Hic vero cum Præceptore ſuo de famæ faſtigio decertaſſe videtur, dum illius gloriam paulatim obumbrare aggreſſus, ſplendorem nomenque Sabinianæ ſcholæ ſibi ipſi arrogavit: ſiquidem jam non a Sabino, ſed a ſuo ipſius nomine, ſcholam, cujus Sabinus auctor, ipſe vero ſeu novus erat conditor, appellari voluit CASSIANUM: Vnde *Plinius lib. 7. Ep. 24.* eum *Caſſianæ ſcholæ Principem ac Parentem* vocat: Dicti ab eo quoque ejus diſcipuli CASSIANI. *Paullus in l. 35. ff. de mort. causa donat.*

C

nat. §. *3. Nec dubitaverunt* CASSIANI, *quin condictione repeti poſſet: Idem in l. 18. ff. de furtis: ſi ſervus tuus furtum mihi fecerit, & Dominus ejus effectus, cum vendidero, non poſſe me agere cum debitore,* CASSIANI *putant.* De hoc ita Pomponius: *Sabino ſucceſſit Caſſius Longinus, natus ex Filia Tuberonis, quæ neptis fuit Servii Sulpicii, & ideo proavum ſuum Servium Sulpicium appellat. Hic Coſ. fuit cum Quartino temporibus Tiberii, ſed plurimum in civitate auctoritatis habuit eousque, donec eum Cæſar civitate pelleret, expulſus ab eo in Sardiniam: revocatus a Veſpaſiano diem ſuum obiit.* Satis anxii ſunt interpp. in conciliando hoc loco cum veritate hiſtorica: De conſulatu ejus res difficultate non caret, quam ex omnibus feliciſſime videtur expediviſſe *Chriſt. Ad. Rupertus;* Nobis hoc ulcus tangere non libet, utpote iis nunc ſubſidiis, quibus Viri illi ad verritatem eniti tentarunt, non adeo inſtructis: In magna ſane penes omnes admiratione fuiſſe Casſium noſtrum, Tiberii imprimis tempore, conſtat, donec a Claudio Cæſare in exilium pulſus: De quo præter Pomponium etiam *Tacit. lib. 16. ann. cap. 7. Objectavit Caſſio, quod inter imagines majorum etiam Caji Caſſii effigiem coluiſſet,*

ſet, paullo poſt *c.9. Tunc SC. Caſſio & Silano exilia decernuntur; de Lepida Cæſar ſtatueret. deportatusque in inſulam Sardiniam Caſſius, & ſenatus jus exſpectabatur:* Vltima hæc verba medicam manum requirunt, quanquam *Lipſio* deſperatum videatur mendum. *Bertrand. in Caſſ.* putat *exſpectabatur*, hic idem eſſe quod *probabatur:* ſed non iſtuc facient loci ab eo allegati, ubi diverſam vocis *ſpectare* ſignificationem eſſe, facile apparet. Magis illi emendationi confirmandæ faceret *l.33. ff. mandat. usque ad eam ſummam, in quam rogatus erat, fidem ejus ſpectaſſe videtur, qui rogavit.* Ineptior paullo eſt *Ludovic. d'Orleans*, qui legit, *ſententia Conjugis exſpectabatur:* Longius petita conjectura, nec ad mentem hiſtorici; Acu rem tetigiſſe videtur *Rupertus*, qui legit: *& Senis citus interitus exſpectabatur.* Teſtatur vero & de Caſſio idem *Sueton. in Ner. cap.37. Caſſio Longino JC. ac luminibus orbato; quod in veteri gentili ſtemmate Coſ. Caſſii Cæſaris percuſſoris imagines reſtituiſſet, objectum eſt.* Quod Pomponius addit, quaſi a Veſpaſiano poſtmodum receptus fuerit, neminem ex hiſtoricis ſibi habet adſtipulantem. Cæterum nec omittendum ejus encomium, quo a *Tacit. lib. 12. annal. cap.11.*

Digitized by Google

ornatur: *Ea*, inquit, *tempeſtate Caſſius cæteros præeminebat peritia Legum.*

CÆLIVS poſtea SABINVS Caſſium excepit, qui Sabinianorum iterum induxiſſe nomen creditur: & quam gentili ſuo famam interverterat, Caſſius eam feliciter reparaſſe. *Vid. Gothofred. man. jur. p. 36.* Plurimum enim potuit ſub Veſpaſiano atteſtante *Pompon. l. 2. §. ult. in fin. de O. I.* Quin & cum Fl. Sabino Ottonis tempore Conſulatum ipſi Kalendis Majis deſtinatum fuiſſe, ſcribit *Tacit. hiſt. lib. 1. cap. 77.* Vnde ſuffectum Coſ. ſaltem fuiſſe colligas: Ordinarii quippe Coſſ. ſemper Kal. Januariis magiſtratum adibant. *Plutarch. in Mario.* Dictus fuit M. Cælius Sabinus, ut habet *Plin. Nat. Hiſt. lib. 35. cap. 12.* ejusque meminit & *Gell. Noct. Att. lib. 7. cap. 4.* Et ſæpius nominatur *in l. 17. ff. ad. edict.*

Cælii ſucceſſor fuit PRISCVS IAVOLENVS, ſeu ut alii, IABOLENVS, de cujus nomine multa *Salmaſ. in not. ad Capitolin. Rupert. in Pompon. h. t.* Indolem ejus ac conditionem prolixe nobis deſcribit *Plin. lib. 6. epiſt. 15.* Non exiguæ eum auctoritatis fuiſſe, exinde ſatis conſtat. Tum a Labeonis ſchola quoque abhorruiſſe, luculenter patet ex epitome, quam ad Labeonem conſcripſit, in qua plerumque

rumque in Labeonis ulceribus ungues defigere gaudet. *Vid. l. 18. ff. de fund. dot. l. 44. ff. de injur. & famoſ. libell.* E contrario Caſſii ſententias amplexum, patet *ex l. 6. §. 2. ff. de liber. & poſth.* Ex cujus quoque ſcriptis ſpicilegia contulit in 55. libros, quorum decimus quintus allegatur *in l. morib. & l. ſolvendo ff. de V. S.* Ejusdem quoque libros aſſidue eum verſaſſe, argumento ſunt *l. ſi alieni 78. ff. de ſolut. & liberat. & l. ſi hereditas 28. §. 1. ff. de ſtatu liberis.*

Ab hoc Pomponius numerat ALBVRNIVM VALENTEM, quem cum Salvo, Vlpio Marcello & Jaboleno in conſilio Antonini Pii fuiſſe, refert *Capitolin. in vit. Anton.* Eundem eſſe non dubito, quem *Paulus in l. 78. §. 6. ff. de legat. 3. Alburnium Valentem* vocat. Etſi autem Pomponius eum Iuliano adhuc præponat, non male tamen quis conjiciat, eum poſt tempora Juliani vixiſſe, cum Juliani auctoritate aliquoties uſus legatur, ut *in l. 33. ff. de minorib. & l. 94. ff. de legat. 3.* ex quibus ſimul conſtare poterit, eum fuiſſe Sabinianæ ſectæ addictum.

Valenti Pomponius TVSCIANVM, neſcio quem, ſubſtituit. Commentatores hic quidem uno ore hujus nominis Juriſconſultum ſibi cognitum negant. Illud non abs re, in

univerſo Digeſtorum volumine vix nomen, quod huic non adeo ſit abſimile, reperiri. Ad hoc igitur ut ultimum confugiunt præſidium, ut corruptum a liberariis nomen aſſerant: Sed in emendando eo non parum falluntur plurimi, dum tale aut affine nomen anxie inveſtigant: Ita *Guido Pancirol. 1. lib. var. lect. 79.* FVSCIANVS legit, cujus mentio eſt apud *Capitolin. in Pertinac.* Sed fuit is Præfectus Vrbi, nec Juriſconſultum fuiſſe aliunde conſtat. Vix eſt etiam, ut is dici poſſit, qui Triphonino memoratur *in l. 7. ff. de legat. præſtand.* & Tuſcianus Numidiæ Legatus dicitur. Sagacior paullo videtur conjectura *Hotoman. in deſcript. vet. JC. p. 170. Rupert. ad h. l. 2. Pomp.* qui putant, ita in M. quodam exaratum fuiſſe Ius ianus: Vnde imperitia librariorum factum: *Tuſcianus*, cum *Voluſius Maecianus* legendum fuiſſet. Cui ſententiæ confirmandæ addimus, hoc ipſum nec temporis rationi abverſari, & hunc ipſum Mæcianum Caſſianæ quoque ſectæ fuiſſe addictum. Quod enim Mæcianus quiſpiam a *Lampridio* inter Severi conſiliarios recenſeatur, dudum jam mendi nomine viris doctis ſuſpectum, qui *Metium* ibi potius legendum arbitrantur, qui auctor eſt *L. 9. de jure fiſci*: quem ſub Severo floruiſſe, ac Conſulem

ſulem fuiſſe, conſtat ex veteri inſcriptione apud *Onuph. Faſt. 2.* Mæcianus autem Voluſius ſub Marco demum Imp. florere cœpit, quippe quem in Jurisprudentia ut Præceptorem audiviſſe Marcum, ſcribit *Capitolin. in Marc.* Pertigit poſtea quoque ad DD. Fratrum tempora, horum quippe conſiliis adhibitum patet ex *l. 17. ff. de jure patron.* ubi Vlpianus DD. Fratrum reſcriptum refert, in quo illi: *Voluſius Mæcianus, amicus noſter, ut & Juris Civilis præter veterem & bene fundatam peritiam anxie diligens:* vocant eum DD. Fratres amicum ſuum, more Principibus conſueto. *Vid. Sueton. Tib. cap. 55. num. 1. Jan. Guther. de off. dom. Aug. l. 1. cap. 16. Clar. Bernegg. ad Sueton. Cæſ. cap. 72.* Quod vero Caſſianæ hic ſectæ adhæſerit, inde conſtare poterit, quod Julianum aliquoties appellet *Suum*, ut *in l. 65. §. 1. ff. ad SC. Trebell. ut Julianus noſter probat.* Et *in l. 30. §. 7. ff. ad L. Falcid. Celſo & Juliano noſtro placuit.* Vnde familiarem Juliani fuiſſe, aut ejus ſcholæ aſſeclam, indubie patet.

Denique agmen claudit IVLIANVS, vir multis magnisque Impp. elogiis ornatiſſimus, & Edicti perpetui conditor: *Amicum ſuum & virum cariſſ.* vocant *Impp. in l. 63 ff. de jure patronat. Magnæ exiſtimationis vi-*

rum & diſertiſſimum juriſperitum, l. non ſine, C. de bonis quæ liberis. Iuris ſublimiſſimum teſtem, l. pen. C. de condict. indeb. ſummum auctorem juris ſcientiæ, in l. inter antiquam C. de uſufruct. & habitat. Ab ipſo etiam Juſtiano *in Novell.* 74 *ſapientiſſimi* titulo decoratur, & *optimi, in Orat. ad Senat. Legum & Edicti perpetui ſubtilis conditor, l. 2. §. 18. C. de vet. jure enucl.* Sabinianæ ſcholæ aſſeclam fuiſſe certum eſt, cum Javolenum Præceptorem ſuum fuiſſe teſtetur ipſe *in l. 5. ff. de manumiſſ. vindict.* Illuſtre præterea eſt Caji teſtimonium *in l. 57. ff. de manumiſſ. teſtam.* Cajus ibi primo ſuam exponit ſententiam, deinde addit, *quam ſententiam Iulianus plane ſequitur*, (paulo poſt) *ſed hoc non eſt conſequens Sabini & Caſſii ſententiæ, quam & ipſe ſequi videtur.* Ipſe quoque pene ſe prodidit *in l. 30. de liberali cauſa: Sabinus refertur exiſtimaſſe, duci ſervum debere ab eo, qui viciſſet, cujus ſententiæ Caſſius quoque eſt, & ego ſum.* Jungitur & cum Caſſio, quod idem dixerint *in l. 28. §. 1. ff. de jurejur.* cum Sabino & Caſſio *l. 1. §. 5. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* Proculum refutat *in l.* [illegible] *§. 5. ff. ad L. Aquiliam.* [illegible]

CAP.

CAP. IV.

De ſcholæ Proculejanæ ſectatoribus.

ENumeravimus eos, qvos Sabinianæ familiæ ſectatores nobis recenſuit Pomponius: nunc ad contrariam nos ſcholam conferamus, PROCVLEIANORVM ſcil. quomodo ſcribendum, non PROCVLIANORVM, docet *Cujac. ad tit. de O. I. in fin.* Proculum tamen antecesſit adhuc Nerva, qui primus Labeonis dogmata cœpit contra Sabinum propagare: Tiberio familiarisſimum fuiſſe, ſcribit Pomponius, idque & *Tacit. lib. 4. ann. cap. 58.* teſtatur. An idem ſit, quem *Iul. Frotin. lib. 2. de aqua duct.* avum Imperatoris, & juris ſcientia illuſtrem vocat, in medio relinquo. Inedia fatum ſibi præcipitavit, Tiberio multum ne faceret ſollicitante, *Tacit. lib. 6. ann. cap. 26.* Quo argumento Stoicæ indolis hæreſisque fuiſſe colligas. Doctrinæ illius veſtigia non niſi rara habentur in jure noſtro. Majorem ſibi poſtea auctoritatem acquiſivit PROCVLVS, quippe quem primum ſcholæ Parentem non immerito dixeris, cum ſectatores ejus morem Sabinianorum æmulati, amplum exiſtimaverint æque ſibi nomen de

ſui Præcaptoris nomine fingere. Ita *Pomponius h. l. 2 §. ult. & Vlpianus in fragm. tit. 14.* mentionem PROCVLEIANORVM, faciunt. Quis autem fuerit hic Proculus, cujus fortunæ conditionisve, parum conſtat. Vix eſt, ut cum Betrando, Forſtero, ac aliis, hunc arbitremur eſſe Proculum illum, qui ſub Ottone Præfecti Prætorio munus geſſit, cujus ſæpius meminit *Tacit. lib. 1. & 2. ann.* Multo minus & ſententiæ Ruperti accedere poſſumus, qui hunc eſſe Sempronium illum Proculum ait, quem in *l. 47. de legat. 2.* conſultum putat. Sed parum ſincere de lege allegata judicat: Sic enim ibi: *Sempronius Proculo, nepoti ſalutem.* Fuit igitur is Sempronius avus Proculi, eumque in lege illa conſuluit. Laudatur a Divis Fratribus in quodam reſcripto, quod exhibet *Vlpianus l. 17. ff. de jure patronat.* ut *non levis juris auctor.* Labeonem ut plurimum ſequitur, nec minus etiam in Nervæ auctoritate deliteſcere ſolet, ut *in l. 8. §. 9. ff. de reb. credit. l. 13. ff. qui potior. in pign.*

Proculum in ſchola excepit NERVA junior, illius, quem modo nominavimus, filius, nequaquam degener: Jam enim octodecim annos natus de jure reſponſitaſſe narratur *Vlpiano l. 1. §. 3. ff. de poſtulando.* Idem

Vlpia-

Vlpianus multum tribuiſſe videtur huic Nervæ, quippe ejus ſingulari doctrina non parum ſe oblectans, ut *in l. 13. §. 7. ff. de uſufruct.* ubi eum *Nervam filium* vocat, quemadmodum & *in l. 3. §. 8. ff. de peculio: Sed hoc & Nervæ filio & mihi videtur verius.* Ita etiam a Paulo ſæpius vocatur *in l. 1. ff. de acquir. vel am. poſſ.* Hunc Proculejanos ſecutum, etſi vix liquidis argumentis demonſtrari queat, vix tamen eſt, ut a Parentis ſui opinionibus eum ſecesſiſſe credamus.

Nervæ ſuccesſit PEGASVS, qui non impari fama hujus ſectæ perſecutus eſt dogmata, ita, ut & qui eum ſequebantur, PEGASIANI fuerint dicti. Eum hunc eſſe ſtatuunt plerique, qui cum Puſione Coſ. fuit & SC. Pegaſiani auctor, cujus mentio eſt apud *Juſtinian. Inſt. §. 5. de fideicom. heredit.* Cui ſententiæ non officit, quod hi Coſſ. nequaquam in faſtis reperiantur, cum & a ſuffectis Conſulibus SC. quoque fuerint denominata, ut pluribus oſtendit *Gerhardus Coccejus in comm. ad h. l. Pompon.* Illuſtre de Pegaſo *Juvenalis* eſt teſtimonium *ſat. 4. verſ. 77.*

Pegaſus attonitæ poſitus modo villicus urbis
Anne aliud tunc præfecti? quorum optimus atque

Inter-

Interpres Legum ſanctisſimus, omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iuſtitia. - - -

Vnde eum præfectum urbi aliquando fuiſſe conſtat: Villicum enim antiqua vocis ſignificatione dixit Juvenalis præfectum: *Vid. Salmaſ. ad Lamprid. Alex. Sev. p. 20. add. Cicer. pro Plancio cap. 62. Horat. lib. 1. ep. 14. pr.*

Villice ſylvarum & mihi me reddentis agelli.

Ad Proculi ſententias aliquoties acceſiſſe legitur, ut *in l. 30. §. 2. ff. de peculio, l. 27. §. fin. ff. de acquir. rer. dom.* Conjungitur & cum Labeone *in l. 12. §. 3. ff. de instruct. vel inſtr. leg.* Aliquando & contra Sabini ſententiam, a cujus ſchola alienus erat, reſpondiſſe legitur *in l. 115. §. 2. ff. de Verb. Obligat.*

Iam porro ad CELSOS devenimus: Hos enim a Pegaſo numerat Pomponius, & quidem utrumque & patrem & filium, Proculejanæ ſcholæ ſectatores celeberrimos. Quamquam diſpar alterutrum gloria ſecuta, cum parentis quidem parce admodum mentio fiat, filii vero ſæpius, cujus & ſcripta non parum ad Digeſta contulerunt. Meminit parentis

tentis ſui Celſus filius *in l. 29. ff. de legat. 2. Pater meus*, inquit, *cum eſſet in conſilio Duceni Veri, itum in ſententiam ſuam referebat.* Idemque ſucceſſionem illam ſcholæ Proculejanæ oſtendit *in l. 20. ff. eod. Et Proculo placebat, & a patre ſic accepi.* Patris quoque mentionem fecit *Neratius in l. 39. ff. mandati: & Ariſtoni & Celſo Patri placuit.* Aſtutiam ejus, qua periculum a Domitiano ipſi deſtinatum evaſit, refert *Dion. lib. 67. p. m. 765.* Filius Jubentius Celſus dictus fuit, ut *in l. 7. §. 1. ff. de operis libert. l. 13. princ. de liberis & poſth.* Bis eum fuiſſe Conſulem tradit Pomponius. Et primum quidem ſuffectum fuiſſe tantum credibile eſt, quod in faſtis non niſi ſemel cum L. Balbo referatur; Sed tamen cum Neratio Marcello aliquando Coſ. fuiſſe, patet ex *l. 3. Cod. de ſerv. reipubl. manumit.* Sed hoſce non fuiſſe diverſos conſulatus, ex antiqua inſcriptione quadam aſtruere annititur *Bertrandus in Celſ. p. m. 56.* Proculum probaſſe ait *Vlpian. l. 9. §. 3. ff. de hered. inſtit.* cum eodem conſentit etiam *in l. 19. §. 3. ff. de auro. arg. mund.* Vlpiano etiam imprimis placuiſſe Celſus videtur, unde, cum ejus utitur teſtimoniis, ſæpius id cum elogio quodam facit, ſcil. *eleganter recte* Celſus. *Vid. l. 1. §. 1. ff. de Juſtit. & Iure, l. 18. ff. de hered.*

pe-

Digitized by Google

petit. l. 23. de recept. qui arbitr. l. 18. §. 4. ff. famil. erciſc. ut a Patre diſtinguant, ſolent hunc vocare *filium:* Sic *Pomponius in l. 1. ff. de reſcind. vendit. Celſus filius putabat. Idem in l. 29. ff. de evictionibus: Celſus filius ajebat.* Iſta ratione Paulus eum vocat *adoleſcentem in l. 91. ff. de verb. obl.* Notanda eſt diſſenſio illa inter filium hunc ejusque Patrem Celſum, quam habet *Vlpian. l. 3. §. 7. ff. de condict. cauſa data.*

Denique agmen Proculejanorum claudit NERATIVS PRISCVS: Quem Conſulem fuiſſe ait Pomponius, quamvis faſtis incognitum eſſe tradant. Meminit tamen SC. Neratio Priſco & Annio Vero Coſſ. facti, *l. 6. ff. ad L. Cornel. de ſicar.* Quantum Trajanus ipſi detulerit, ſatis ex Lampridio conſtat: Proculi ſententias ſecutum, teſtis eſt *l. 17. pr. ff. ſolut. matrimon.* quæ deſumpta eſt ex *Pauli lib. 7. ad Sabin.* Idem tamen *Paulus in lib. 6. ad Plaut. ex quo eſt l. 21. ff. de re judicat.* longe aliter Neratii hac de re adfert ſententiam, quod argumento eſt, quam diverſimode Juriſconſulti alterius cujusdam referant ſententiam: Cujus ſane rei non ſolum Triboniano, ſed ipſis quoque Jureconſultis culpam tribuendam eſſe, non immerito quis arbitretur. Etiam *in l. 32. §. 5. ff. de auro, arg. leg.*

Ne-

Neratius Proculum refert ita reſpondiſſe, a qua ſententia nec ipſe diſcedit. Ejusdem quoque ſententiæ ſunt *in l. 3. §. 5. ff. de A. vel A. Poſſ.*

Et hactenus vidimus de iis, quos Pomponius nobis recenſuit, diverſarum ſectarum aſſeclis. Quorum in vitas penitius inquirere, noſtrum nunc non eſt negocium, neque adeo operæ precium foret, aliorum compilate ſcrinia, quippe cum hæc jam pridem iis, qui ſeorſim Juris Juriſconſultorumque hiſtoriam ſibi ſcribendam ſumpſerunt, operoſe ſatis pertractata ſint. Ad eos nunc progedimur Juriſconſultos, quos Pomponius prætervectus, ex Digeſtorum tamen volumine ſat nobis cogniti ſunt.

CAP. V.

Diſquiritur de reliquis, ac poſterioris imprimis ævi Juriſconſultis, an & illi ſectas foverint.

SVbſiſtit in Juliano ac Neratio Priſco Pomponius, forte, quod ſubſecutis temporibus non pari ardore diverſæ factiones fuerint excultæ, aut etiam, quod eorum, qui ſuæ ætati proximiores erant, famæ ad declinandam invidiam

vidiam pepercerit. De quo tamen deinceps paullo curatius diſquiramus, ubi primo eorum in ſectam, qui eadem ætate cum illis, quos nominavit Pomponius, vixerunt, inveſtigaverimus. Multo autem fœcundior ſemper ſchola Proculejana fuit quam Sabini, ex hac potiſſimum, ut arbitror, cauſa, quod Juriſconſulti maximam partem tunc temporis Philoſophiæ Stoicæ eſſent addicti. *Vid. Cujac. Obſerv. lib. 2. cap. 13. Paganin. Gaudant. in libell. de philoſophia Romanor.* de qua Juriſconſultorum Stoica philoſophia tractatum promiſit *Galvanus de uſufruct. c. 1.* Præ cæteris vero hanc excoluere Proculejani, ut jam ſuperius demonſtratum nobis.

Celebris imprimis Proculi ſectator fuit ATTILICINVS, cujus non alia niſi ex jure noſtro notitia: Non tamen minorum gentium fuiſſe Juriſconſultum, patet inde, quod *Imp. §. 1. Inſt. de heredib. inſtit.* ejus uſus fuerit auctoritate. Fuiſſe autem Proculo familiarem, docet nos *l. 17. ff. de pact. dotalib.* ubi eum per epiſtolam conſulit, cujus principium eſt, *Attilicinus Proculo ſuo ſalutem.* Hinc & ſæpiuſcule Proculo conjungitur, quod ſcil. in eadem fuerint ſententia. *Vid. l. 22. §. 9. ff. de recept. & quia arbitr. l. 17. ff. de pecul.* Poſtea cum Nerva quoque filio amicitiam coluit,

luit, cùm quo ſæpe reſpondit & eandem fovit ſententiam. Sic *in l. 7. ff. de condict. cauſa dat. cauſ. non ſecut.* Nerva & Attilicinus ſimul reſpondent: Idem ſcribunt *in l. 45. §. 7. ff. mandati:* Et Vlpianus *in l. 4. §. 8. ff. de dol. mal. & met. except.* Extat, ait, Nervæ & Attilicini ſententia exiſtimantium. Valens *in l. 19. ff. de legat. 3.* Nerva & Attilicinus recte putaverunt. *Paulus* quoque *in l. 19. ff. de liberat. leg.* eorum refert conſenſum. Nec non Neratius Proculum & Attilicium exiſtimaſſe ait, ſecundum *Vlpian. l. 5. §. 1. ff. de ſerv. præd. ruſt.*

Pariter etiam ARISTO Proculi adhæſit ſcholæ, eamque temporibus Trajani illuſtrem reddidit: Laudatur prolixe a *Plinio lib. 8. ep. 12. Gellio N. A. lib. 11. cap. 18.*

Habuit e Schola Proculejana familiariſſimum Priſcum Neratium. Vnde ſæpius reperias in ffis, Neratium Priſcum & Ariſtonem in eadem fuiſſe ſententia. Hinc & Neratius *in l. 58. ff. de pact.* Ariſtonis ſententiam refert & probat. Et *Papinianus in l. 5. ff. ſi a parente quis manumiſſ.* D. Trajanum memorat, aliquando ex conſilio Neratii Priſci & Ariſtonis reſpondiſſe. Sæpius quoque literas invicem commutaſſe reperio. Ita *Vlpian. in l. 19. §. 2. ff. locat.* meminit epi-

ſtolæ Neratii ad Ariſtonem. Et *in l. 3. pr. ff. quæ res pignor. vel hypoth.* Ariſto Neratio Priſco ſcripſit: Contrariam Pegaſo aliquando ſententiam foviſſe legitur *in l. 19. de hered. inſtituend.* Ab hac vero me ſententia non dimovet auctoritas Pomponii, qui *in l. 40. ff. de receptis* refert, *Ariſtonem dicere, ſe Caſſium audiviſſe dicentem &c.* unde quis colligat, Caſſianæ potius hunc ſectæ addictum fuiſſe: Sed conſtat, cum Juriſcoſulti publice profiterentur, ſæpius eos a diverſæ ſcholæ ſectatoribus fuiſſe frequentatos; Id tamen non officiebat, quo minus uni præcipue ſe manciparent. Oſtendit nobis hoc diſerte in Labeone *Pompon. de O. I. l. 2. §. 27. Poſt hunc,* inquit, *maximæ auctoritatis fuerunt Attejus Capito, qui Ofilium ſecutus eſt, & Antiſtius Labeo, qui omnes hoſce audivit, inſtitutus autem eſt a Trebatio.* Multo vero minus crediderim, hunc Ariſtonem illum eſſe, qui Julianum conſuluit *in l. 6. ff. de legat. præſt. contra tabb.* id quod putat *Bertrand. in vit. Ariſt.* Dicitur enim is *Salvius Ariſto*, cum noſter fuerit *Titus Ariſto*; Nec Bertrandi conjectura locum habet, qui hæc verba *Salvius Ariſto Juliano ſalutem;* ita tranſponenda cenſet: *Ariſtoni Salvius Julianus ſalutem*, cum nulla nos neceſſitas adigat, ut

eum fuiſſe Ariſtonem, hunc Proculejanum, credamus.

Præter hoſce & Vlpius Marcellus ex Proculi ſectatoribus fuiſſe perhibetur: id quod obſervavit *Emund. Merill. obſ. 1. cap. 28.* Quod tamen inter alia hoc adduxerit argumentum, quod ex hac ſchola fratrem quoque habuerit Neratium, ex errore quodam ortum videtur. *In l. quæſitum 12. §. 43. ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* Neratius quidem ad fratrem ſuum Marcellum ſcripſiſſe dicitur, ſed an is fuerit hic noſter, non levis occurrit dubitandi ratio. Crediderim enim, Marcellum iſtum, de quo dicta *l. 12.* fuiſſe potius Neratium illum Marcellum, qui cum Jubentio Celſo Conſul fuit, cujus mentio eſt *in l. 3. C. de ſerv. reipubl. manumitt.* & quem *Plin. lib. 3. epiſt. 8.* vocat *Virum Clariſſimum.* Noſter vero Jurisconſultus Vlpius Marcellus dictus fuit. Quam vero infenſus Sabinianæ ſcholæ fuerit, ſatis oſtendunt, quas in Julianum, quantum vis σύγχρονον ſuum, conſcripſit, notæ, quæ plenæ ſunt diſſenſionum veſtigiis, quarum illuſtre exemplum adfert *Vlp. l. 12. §. 5. ff. de uſufruct. & quemadmod.* Hinc, cum confirmare aliquid vult Vlpianus, binos hos etiam in eo conſentire ait, ut *in l. 27. §. 3. ff. ad L. Aquil. Julianus ait, & eſt veris-*

riſſimum, cum & Marcellus conſentit: Et *in l. 2. §. fin. ff. de negot. geſt. Nos autem ſecundum Julianum probavimus, quæ ſententia habet rationem, & a Marcello apud Iulianum probatur. add. l. 10. pr. ff. ſi quis omiſſa cauſa.* Vnde patet, quam inſigniter aberrarit *Bertrand. in vit. cap. 1. p. 72.* ubi ſcribit, eum Caſſianæ ſcholæ fuiſſe addictum, idque tum ex ſcriptis ejus liquido apparere, tum, quod Julianum Caſſianum appellet ſuum *in l. 85. ff. de condit. & demonſtrat.* Sed nihil minus quam Sabinianam ſectam redolent ſcripta ejus, & in illa *all. l. 85. ff. de condit & demonſt.* nuſpiam Juliani mentio eſt, quin ipſa lex Scævolæ eſt, in ſequenti autem *l. 86. Macianus*, non *Marcellus*, Julianum vocat ſuum.

TITVS quoque GAIVS ex hac fuiſſe ſchola videtur: Stoicæ enim doctrinæ addictior fuit, atque idcirco de originibus vocum, in quibus Stoicorum prima ponebatur cura, conſcripſit libellum, laudatum *Gell. lib. 11. Noct. Att. cap. 17.* Quin & *naturam* pro Deo accepiſſe *in l. 28. ff. de uſufruct.* obſervatur quibusdam. Manat & illud ex Stoicorum principiis, quod *in l. 28. ff. de uſufruct.* fœtus in fructu eſſe, aſſerit. *Vid. Plutarch. de placit. philoſ. lib. 5. c. 15.* Sed non opus erit, ut tam alte rem arceſſamus: Suo ſe ſorex prodit

dit indicio *in l. 57. ff. de manuiſſ. teſt.* ubi ita. *Sane ſunt quidam, qui, cum heres locuples exiſteret, tale eſſe crediderunt, quale ſi ipſe teſtatur adauctus poſtea facultatibus deceſſiſſet: Sed mihi traditum eſt, hoc jure nos uti, ut ad rem non pertineat, locuples an egens herer exſtiterit, ſed quarum facultatum teſtator deceſſerit: Quam ſententiam Iulianus adeo ſequitur, ut exiſtimet, ne eum quidem libertatem conſecutum, quem is, qui ſolvendo non eſſet, ita liberum eſſe jusſiſſet, cum æs alienum ſolutum erit, Stichus liber eſto. Sed hoc non eſt conſequens Sabini & Caſſii ſententiæ, quam & ipſe ſequi videtur.* Satis oſtendit ibi animum ſuum a ſchola Sabiniana alienum. Sed non poſſum non hic iterum inſignem Bertrandi oſcitantiam notare, qui Cajum ait notas ad libb. fftar. Juliani ſcripſiſſe. Quod ſi ita eſſet, ſane & hinc argumentum peteremus, ſectæ eum Proculejanæ fuiſſe. Cæterum errore lapſus eſt; nam Leges, quas eam in rem adduxit, notarum Scævolæ in Julianum Marcellumque meminerunt.

Proculejanis quoque VRSEIVM FEROCEM accenſet *Bertrand. in vit. ej.* motus per *l. 27. §. 1. ff. ad L. Aquil.* ubi Vlpian. ita: *Proculum exiſtimaſſe Vrſejus refert.* Idcirco poſtea Julianus, ut diverſæ familiæ ſectator, notas

ad eum conſcripſit liberis IV, quos in indice recenſitos legimus. Et ſecundus allegatur in inſcriptione *l. 48. ff. de jur. dot.* Obſervare adhuc liceat, quod *l. 1. §. 10. ff. quarum rerum act. datur.* ſine dubio emendanda videatur: ibi enim ita: *non Caſſius exiſtimaſſe Vrſejum refert:* Cum tamen Vrſejus poſt Caſſium vixerit, uti facile apparet ex *l. 10. §. 5. ff. quibus mod. uſufruct. amitt.* ubi Vrſejus Casſii auctoritate uſus: adeoque *in d. l. 1. quar. rer. act. non detur.* ita legendum: *Casſium exiſtimaſſe Vrſejus refert.*

Hactenus de Proculejanis, nunc de Sabinianis videndum, an & præter eos, quos recenſuit Pomponius, alii nonnulli iis ſint adjungendi. Fuiſſe autem inter eos & Q. Cervidium Scævolam arbitramur, celebrem imprimis Jureconſultum, Severi ac Papiniani præceptorem, *Lamprid. in vit. Severi.* qui prudentisſimi encomio ornatur *in l. 3. C. Theod. de teſtam.* Veſtigia autem, ex quibus colligas, eum fuiſſe Sabinianis addictum, ſunt *in l. 39. §. 1. ff. de negot. geſt.* ubi Paulus, *Scævola noſter ait, putare ſe, quod Sabinus ſcribit, &c.* Itemque *in l. 93. §. fin. ff. de ſolut. & liberat.* ubi ipſe diſerte ſententiam Sabini contra Proculum diſſentientem amplectitur.

Præ-

Præter hunc & SEXTUS CÆCILIUS AFRICANUS Sabini ſcholam ſecutus. Hunc enim Juliani diſcipulum fuiſſe, putat *Accurſius in l. 16. ff. de pec. leg. & l. 21. de fidejuſſoribus*, id quod a veritate non adeo diſſentaneum videri cuiquam poſſet, inſpicienti *l. 3. §. 4. ff. de agnoſcend. lib.* ubi Julianus Sexto Cæcilio Africano reſpondiſſe dicitur, cui *add. l. 38. pr. ff. de condict. indebit. l. 45. ff. de act. empt. l. 38. §. 4. ff. de ſolut. & lib.*

Jungimus hiſce & TERENTIUM CLEMENTEM, quem Juliano imprimis carum fuiſſe, patet ex *l. 6. ff. de vulg. & pup. ſubſtit.* cui adde *l. 24. ff. qui & a quibus manumiſſ.* Juliani quoque auctoritate ſuam confirmat ſententiam *in l. 31. ff. eod.*

Huc referendus & MINICIUS NATALIS, ad quem Trajanus aliquando reſcripſiſſe legitur *in l. 9. ff. de feriis.* Fuiſſe autem Sabinianum, oſtendit Bertrandus ex *l. 6. §. 4. ff. de act. empt.* ubi Sabinum reſpondentem refert. adde *l. 11. §. 15. ff. eod.*

Nec non & VINDIUS Sabinianis annumerandus, ſiquidem ex hac ſchola familiarem habuit Mæcianum, ut patet ex *l. 32. §. 4. ff. ad L. Falcid.* ubi Mæcianus eum vocat *ſuum.*

Egimus hactenus de iis Jureconſultis, qui

Digitized by Google

a Pomponio vel enumerati vel neglecti, omnes tamen ante ejus tempora vixerunt. Iam porro inſpiciamus & poſterioris ævi Jureconſultos, nobilem imprimiis quadrigam illam, *Pomponium*, *Papinianum*, *Paulum & Vlpianum*, an & hi ipſi ſectarum ſtudio acti fuerint. Pleriſque autem ita viſum eſt, haſce Jureconſultorum ſectas ad Antonini Pii ſaltem tempora continuaſſe, qui ſolida ſatis ratione inducti videntur, quod in eis, qui ad eam ætatem usque vixere, Jureconſultis Pomponius conquieſcat. Verum enim vero, quantumvis non auſim aſſerere, pari ardore diverſas haſce familias poſtea fuiſſe prorogatas, per tamen fit veriſimile, hoſce poſterioris ævi Jureconſultos vel in aliam ſectam magis ſe inclinaſſe, &, ſiquidem non diſerte id fuerint profeſſi, occulta tamen æmulatione animos urgente tacitis diſſidiis laboraſſe. Idcirco nec Pomponius, conquieviſſe haſce altercationes, meminit, quod certe facturus fuiſſet, ſi ante ſua tempora iis renunciatum eſſet.

Tum etiam eorum, quos præterea nos adduximus, plerique ex eorum, quos Pomponius nominavit, ſchola prodierunt, quos idcirco plane eorum opiniones deſeruiſſe, non facile credo. Lubens itaque largior, non

tanto

tanto amplius ſtudio poſteriores Jurecoſultos hiſce incubuiſſe ſectis, fatendum tamen erit, non omnino eos ab his, quæ a Præceptoribus erant inſtillata, diſcedere potuiſſe. Quo fere redit & ſententia *Gothofredi in manual. p. 28. & Merceri in conciliatore ſuo.* Sed merentur hæc paullo curatius pertractari. Ac principio quidem reperimus, nonnunquam Jureconſultos, relicta utriusque diſſentientis familiæ opinione, media inceſſiſſe via, more ſcilicet Stoicorum, quibus erat familiare, μέσην ὁδὸν τέμνειν, unde eos erciſcundos fuiſſe dictos, ait *Servius ad lib. 3. Æn. Virg.* Ita in quæſtione illa de ſpecificatione, poſt multos, inquit *Imperator Inſt. de rer. div. §. 25. placuit media ſententia exiſtimantium*, quam & Cajus amplectitur *in l. 7. §. 7. ff. de acqu. rer. Dom.* Sic & Paulus *in l. 3. ff. ſi pars hæred. petat. Prudentiſſime*, inquit, *Juris auctores medietatem quandam ſecuti: Idem in l. 7. ff. ut legatorum ratione caveatur. Melius eſt, per medietatem cauſam dirimere.* Ac proinde etiam laborare nonnunquam reperias in componendis antiquiorum, quin & ſui etiam ſeculi, Jureconſultorum controverſiis, poſteriores hoſce! Quemadmodum Pomponius *in l. 26. ff. de Legat. 1.* Sabini & Caſſii diverſas opiniones oſtendit, diverſis conditioni-

Digitized by Google

bus locum habere, & utramvis poſſe ſubſiſtere: Pariter *Vlpianus in l. 15. §. 32. ff. de dam. infect. Illud quæritur, ex quo tempore damni ratio habeatur, utrum, ex quo in poſſesſionem ventum eſt, an vero, ex quo Prætor decrevit. Labeo: ex quo decretum, Sabinus: ex quo ventum in poſſesſionem eſt: Ego puto, cauſa cognita modo hanc, modo illam ſententiam probandam.* Notabilis ejusdem eſt *Vlpiani* compoſitio *in l. 14. §. 5. ff. de uſu & habitat.* ubi Labeonis primo ſententiam de ſervo uſuario proponit, poſtea addit, *nec offendetur illa Sabini ſententia*, easque invicem ſubtili ratione conciliat: Idem Octavenum cum Labeone in concordiam reducit *in l. 18. ff. de heredit. petit.* Ita & *Cajus in l. 7. §. 7. ff. de acqu. rer. dom.* controverſiæ Caſſii & Sabini cum Proculo & Nerva intercedit. Proculum cum Caſſio conciliat *Paulus in l. 40. ff. de heredit. petit.* Æque & Pomponii & Juliani disſidium compoſuit Vlpianus *in l. 7. ff. de dolo malo.* Meminit quoque Juſtinianus *in l. 10. de C. de adopt.* quæſtionis inter Papinianum & Paulum agitatæ, cui ſe Martianus adhibita diſtinctione interponit.

Præterea obſervandum, Jureconſultos poſteriores, ab antiquiorum diſcordiis, quæ vel certo jure jam conſtituto, vel unanimi di-

diverſarum ſectarum conſenſu, tandem ſopitæ eſſent, ſibi temperaſſe, nec eas facile reſuſcitare voluiſſe: Idcirco in his etiam, non habita diverſorum argumentorum, quæ a diverſa ſectarum parte ſtabant, ratione, eo unice ſpectabant, quod jam invaluerat: *Vid. Iohan. Mercer. in conciliatore ſuo.* Primo igitur quædam controverſiæ ipſorum Jureconſultorum conſenſu intercedente compoſitæ erant: Quem conſenſum plerumque poſteriores indicant hiſce formulis, *pridem placuit; conſtat, convenit inter omnes*, & ſimilibus: Obſervavit id *Hotoman. in illuſtr. quæſt. 28. f. 187. ex l. 46. pr. ff. de furtis*, ubi Vlpianus, *inter omnes*, inquit, *conſtat.* Adde *l. 38. §. 7. ff. de contrahend. emp. veriſſimum eſt, quod & conſtare videtur, l. 5. §. 6. ff. de injur. & fam. lib. quæritur: an paterfamilias injuriam paſſus ex L. Cornelia injuriarum agere poſſit? & placuit, non poſſe, deque ea re inter omnes conſtat. Pridem placuit in l. 3. §. 10. ff. de muner. & hon. l. 3. §. 2. ff. de jure fiſci, l. 17. §. 1. de aqu. & aqu. pl.* & infinitis aliis locis: *Venulejus in l. 2. §. 1. de novat. fere autem convenit. Papinianus in l. 64. §. 4. ff. de evictiòn. qui unum jugerum pro indiviſo ſolum habuit, tradidit, ſecundum omnium ſententias non tantum domini-*

um

um tranſtulit. & Cajus in l. 141. §. 3. ff. de verb. obl. ſecundum omnium opinionem. Vlpian. in l. 1. §. 2. ff. de uſurucť. accreſc. Omnes auctores ad Plautium de hoc conſenſerunt: Quod *Bertrand. in Plaut.* pariter de conſenſu Sabinianorum & Proculejanorum intelligit. Similiter & *Paulus in l. 28. §. 3. ff. de donat. inter vir. & uxor. apud Plautium placuit.*

Deinde etiam nonnullæ veteriorum controverſiæ certo jure jam conſtituto erant definitæ, quo pertinent hæ formulæ: *dubitatum ſed obtinuit, hoc jure utimur, reſcriptum eſt: Hermogen. in l. ult. ff. pro legat. poſt magnas varietates obtinuit*, qua formula utitur idem *in l. 32. ff. de oblig. & Act. Modeſtinus in l. 4. ff. de captiv. & poſtlim. rev. varie tractatum: ſed definitum tandem: Vlpian. in l. 68. pr. ff. de uſufruct. Vetus fuit quæſtio, ſed Bruti ſententia obtinuit.* Idem *in l. 24. ff. de acquir. hered. fuit quæſtionis & obtinuit.* Idem *in l. 1. §. 12. ff. ſi quis omiſſa cauſa. Sane quæſtionis fuit, ſed Labeonis ſententia obtinet. add. l. 127. ff. de Legat. 1. l. 10. pr. ff. de uſurpat & uſucap. l. 5. §. 3. ff. de legat. præſt. contra tabb. Vlpianus in l. 27. §. 1. ff. de recept. & qui arbitr. Labeonis ſententia non utimur.* Idem *in l. 19. ff. de hered. Inſtit.*

Ari-

Digitized by Google

Ariſtonis ſententiam Javolenus probat & Pomponius, & hoc jure utimur. Gajus in l.43. §. 1. ff. ad L. Falcid. Magna dubitatio fuit, ſed hoc jure utimur. Ulpianus in l. 4. ff. de Lege commiſſor. Sed jam deciſa eſt quæſtio, ut reſcriptis Imp. Antonini & D. Severi declaratur: Idem *in l.12.ff.de Tutor. & Curatorib. dat. quamvis enim contra ſit apud Celſum, & alios pleroſque relatum, tamen D. Pius, itemque DD. Fratres ſic reſcripſerunt. add. l.3.ff.de minorib. l. 20. ff. eod. l. 6. §. ult. de inoffic. teſtam. l.9. §.3. ff. quod metus cauſa, &c.*

Porro in dubia quæſtione ut plurimum ſe referebant ad eam ſententiam, a qua maximam partem ſtetiſſe antiquiores videbant: Hinc, cum opinioni ſuæ auctoritatem conciliare volunt, addunt, *plerique putant, conſentiunt, &c. Ulpian. in l. 10. §.2. ff. de pact. Iulianus ita ſcribit, & alii plerique conſentiunt. Cajus in l. 17. §. 4. ff. de teſtam. milit. pleriſque placet. Africanus in l. 28. p. ff. ad SC. Trebell. non immerito dubitabatur; & pleriſque placet. Paulus in l. 2. §. ff. de collat. bon. quæritur, & plerique putant.* Idem *in l. 36. ff. de damn. infect. plerique dixerunt. in l. 2. §. 33. ff. ne quid in loco publ. ſcio tractatum, & plerique putant.*

In

In id generis igitur & ſimilibus diſputationibus, Jureconſulti poſteriores ſepoſita animorum opinionumque diſſenſione, hac plerumque via, quam modo deſignavi, incedebant, & in nullius ſcholam procliviores erant. Cæterum, quandoquidem luculenta ſatis diſputandi materies adhuc ſubeſſet, dum & veterum controverſiæ aliæ magnam partem indeciſæ adhuc eſſent, & novæ inter eos ſubinde emergerent, etiam inter hoſce poſterioris ævi Jureconſultos in varias itum ſententias, ac prout quisque Sabini vel Proculi principiis imbutus magis eſſet, tanto ſe magis vel in illius vel hujus opiniones inclinavit. Nec impedit,quo minus id credamus, quod Pomponium, Vlpianum, Paulum, Papinianum, modo Proculejanorum, modo Sabinorum auctoritate uſos legamus, ita ut perinde ipſis fuiſſe, num hujus vel illius ſententias tuerentur, inde quis colligat: Enimvero jam ab antiquioribus illud factitatum, ut nonnunquam ad contrariæ ſcholæ dogmata tranſirent, ita etiam, ut in quibusdam cum adverſariis ſuis conſentirent contra ſuæ ſcholæ aſſeclas, qua de re infra commodior agendi locus erit.

Vnde jam conſtat ex hiſce argumentis, quæ in medium adduximus, & quorum ſimul

mul infirmitatem declaravimus, minime colligendum definiendumque, poſterioris ævi Jureconſultos nullam diverſarum ſectarum curam habuiſſe, quinimo nunc ſingulos hoſce, ſcilicet Pomponium, Papinianum, Vlpianum & Paulum, excutiamus, & quas ſibi præcipue ſectas quisque elegerit, diſpiciamus.

CAP. VI.

Agitur de Pomponio, Papiniano, Paulo, & Vlpiano, quibus ſectis quisque addictus fuiſſe videatur.

QVod primo attinet Pomponium, ſunt nonnulli, qui eum Sabinianis accenſent: E quibus & *Bertrandus in vit. ejus* id nimis audenter affirmat. *Cujacius* ſane hic valde dubius fuiſſe videtur, ſiquidem ad *l. 6. ff. comm. divid.* item *ad Pauli l. 54. Edict. p. 25.* eum diſerte Sabinianum fuiſſe dicit; Attamen ad *l. 28. §. ult. ff. de judic.* eum Proculejanis adhæſiſſe ſentit.

Nobis quidem illius ſcripta penitus paullo inſpicientibus ſtat ſententia, Proculejanam præcipue ſcholam ſecutum eſſe, cujus imprimis opinionibus delectari ſolet. Hinc

recte

recte putat Labeo contra Trebatium, inquit, *in l. 21. ff. hered. inſtit. & in l. 22. §. 1. ff. quando dies legat. Labeonis definitio probanda:* Proculi auctoritate utitur aliquoties *in l. 16. §. 2. ff. de eviction. l. 10. §. 1. ff. ſolut. matrim. l. 12. pr. ff. de Legat. 1. l. 58. ff. de condit. & demonſtr. l. 21. ff. de acqu. rer. dom. l. 21. ff. de Verb. Oblig. In l. 28. de acqu. rer. dom.* Sabini & Proculi controverſias attingit, & ad Proculi partes tranſit eumque probat; *add. l. 16. §. 2. ff. de evictionibus.* Attilicini quoque utitur auctoritate *in l. 48. pr. ff. de Legat. 1.* Et Pegaſi diſtinctione *l. 43. §. 2. ff. de legat. 2. & Celſi in l. 14. ff. de verb. obl. l. 29. p. ff. de ecrit.* Ariſtonem quoque ſæpius teſtem laudat, ut *in l. ult. ff. de acqu. vel com. hered.* ubi integrum ex eo locum adfert *l. 21. ad SC. Trebell. l. 26. ff. de ſolut.* Et ſuam ſententiam Ariſtonis opinioni conformat *l. 72. ff. ad SC. Trebell. l. 4. ff. de operis libert.* Reſcriptum ejus recitat *in l. 46. de manumiſſ. teſtam. add. l. 29. de ſtatu lib. l. 20. de fideicom. libert.* Neratium quoque Priſcum ſequitur *in l. 8. §. 2. de liberat. leg. in l. 3. ff. pro ſuo: Neratius ita ſcripſit, idque verum puto.* Neratium, Ariſtonem & Ofilium allegat conjunctim *in l. 45. de legat. 1. Neratius & Ariſto recte putant, l. 5. ff. de*

Digitized by Google

de ſtat. lib. Et ſic utique Proculejanorum ſententias diſerte probare ſolet: Sed cum Sabinianorum adfert, non æque cum emphaſi quadam illos probare videtur, ut *in l. 6. de condit. & demonſtr. Sabinus quoque & Caſſius ſenſerunt, quæ ſententia admittenda eſt;* Et cum Proculejanorum ipſe, tanquam legiſſet, allegare ſolet ſententias, Sabinianorum, tanquam ab aliis acceperit, citat, ut *in l. 6. de ſtip. ſervor. quæ ſententia & Caſſii & Sabini dicitur.* Ante vero, quam a Pomponio digredior, obiter monere libet, ſuſpectam eſſe *l. 63. §. 9. ff. pro ſocio.* ubi ita legitur, *& ait Julianus, Sextum Pomponium referre Sabinum reſpondentem.* quod ſine dubio ita emendandum: *& ait Iulianum, Sextus Pomponius referre Sabinum:* Nam Pomponium Julianus allegare non potuit, cum illum præceſſerit; Pomponius autem & alibi allegat Julianum, ut *in l. 18. §. 5. ff. de damn. infect.* Igitur ex hiſce, ut arbitror, Pomponium ſcholæ Proculejanæ magis deditum fuiſſe, apparebit, adeoque & familiarem habuit Gajum, quem jam ſuperius Proculi aſſeclam fuiſſe probavimus: Hunc vero *in l. 39. ff. de ſtipulat. ſervor.* vocat ſuum: *non ſine ratione eſt, quod Gajus noſter dixit.*

Ad Papinianum venio, celeberrimæ fa-

mæ Jureconſultum, & multis Impp. laudibus ornatum, quas cumulat *Cujac. in præfat. ad Juriſpr. Papian.* Et quoniam ad hoc famæ faſtigium enixus erat, ut cæteris omnibus palmam videtur præripuiſſe, idcirco non minorem ſibi penes alios ſui ævi Jureconſultos, Vlpianum puto ac Paulum, (nam hoſce potius συγχρόνες illi fuiſſe, non diſcipulos, eleganter oſtendit *Cujacius lib. 1. qu. Papin. p. m. 2.*) invidiam concitavit. Siquidem non temperarunt ſibi ab eo perſtringendo, quoties ejus eſſet copia. Diſerte ſe aliquando ab ipſo diſſediſſe profitetur *Paulus in l. 97. ff. de adquir. vel amitt. hered. Papininus*, inquit, *putabat, repudiaſſe eum ex priore hereditatem, &c. dicebam, non repudiare eum:* Durior adhuc in illum eſt *in l. 60. §. 4. ff. de ritu nupt. Et ait Papinianus, &c. Sed mihi hoc nequaquam placet, iniquum enim eſt, &c.* Nec civilius cum ipſo egit Vlpianus, id quod ſatis oſtendunt *l. 7. §. 7. ff. de minorib. l. 20. ff. eod. l. 13. §. 6. de hered. petit. l. 12. §. 42. ff. de inſtruct. vel inſtr. leg.* Atque ut luculentius invidiam ſuam declararent, vterque notas in eum conſcripſit, quibus illum in plerisque ſugillarunt: unde & conſtitutio Impp. Theodoſii & Valentin. *in l. unic. C. Theodoſ. de reſponſ. prudent.* hiſce notis omnis auctoritas abro-

abrogata: quam tamen poſtea illis reſtituit Juſtinianus, ut apparet ex *Conſtit.* 1. *de concept. Digeſt.* §. 6. quatenus ſcilicet Papinianum illuſtrarent ac interpretarentur: Idcirco & in ffis earum veſtigia ſuperſunt, ut *Ulpiani in l.* 31. §. 2. *ff. de neg. geſt. Pauli in l.* 1. §. 2. *ff. de uſur. & fructib. l.* 9. *de ann. legat.* quin ipſe Paulus *in l.* 13. §. 1. *de rebus eorum qui ſub tut.* Papiniani ſententiam allegat, & ſubjungit: *ego autem notavi.*

Cum igitur ad hunc apicem evaſerit Papinianus, credibile eſt, eum nulli certæ ſectæ ſe penitus mancipaſſe, quin potius ex unaquaque adhibita judicii ſui cenſura ea ſelegiſſe, quæ ſolidioribus videbantur niti principiis. Iſtud interim in confeſſo eſt, Sabinianas opiniones ipſi præ cæteris placuiſſe, imprimis, quoniam & Præceptorem una cum Severo poſtmodum Imperatore habuit Scævolam, quem jam Sabini ſectatorem fuiſſe demonſtravimus. Sub hoc enim cum Severo fuiſſe profeſſum Papinianum, ſcribit *Lamprid. in vit. Severi.* Idcirco amat etiam, Sabinianorum plerumque auctoritate ſuam tueri ſententiam. Sic *in l.* 4. *ff. de ſervit.* ſuam firmaturus opinionem, *id & Sabinum reſpondiſſe Caſſius retulit & ſibi placere*, ait. Similiter ſuam Sabini ſententiæ conformat *l.*

28. ff. comm. divid. add. l. 115. §. 2. ff. de Verb. Oblig. l. 37. §. 2. ff. de adminiſt. tut. vel curator. Et voce *merito* Sabinum probat *in l. 3. ff. quando ex facto tut. vel curat. & in l. 71. §. 3. ff. de condit. & demonſtr.* Caſſium cum Cælio Sabino allegat *in l. 72. §. 7. ff. eod.* & Mæcianum æque Sabinianum allegat *in l. 86. pr. ff. de acquir. vel amitt. hered.* Juliani quoque ſæpius utitur auctoritate, ut *in l. 31. fin. ff. de uſufr. & quemadmodum. l. 62. in fin. de rei vind. l. 19. de dol. mal. l. 67. de heredib inſtit. l. 26. fin. ſi quis omiſſ. cauſa teſt. l. 43. de bon. libertor.* & diſertiſſime oſtendit, quam ſibi placeat Juliani ſententia, *in l. 18. §. 3. ff. de ſtip. ſervor. Iulianus ſcriptum reliquit, quæ ſententia mihi videtur firmiſſima ratione ſubnixa.* Diſerte aliquando contrariæ ſcholæ ſententias rejicit: *in l. 67. §. 8. ff. de legat. 2. non eſt Neratii Priſci ſententia nec conſtitutioni locus.* Verum non opus, longius argumenta arceſſere, ipſe, quantum Sabino detulerit, ſatis oſtendit *in l. 6. ff. de ſervis export. Nobis aliquando placebat*, ait, *non alias ex vendito &c. Sed in contrarium me vocat Sabini ſententia, qui arbitratus eſt.* Ecquod quæſo illuſtrius teſtimonium deſideres? Sola ſcilicet Sabini auctoritate permotus videtur, ut contrarium ſtatueret.

At-

Atque hæc hactænus etiam de Papiniano; ad Paullum me converto & Vlpianum, quos inter fribuſcula quædam interceſſiſſe inde colliges, quod nec Vlpianus Paulli, nec Vlpiani Paullus, uſpiam auctoritate uſus reperiatur: An id ex æmulatione factum, an aliunde odia exſtiterint, divinare non auſim. Neque diſſimulat ipſe Paullus, quippe in auditorio aliquando contrariam Vlpiano ſententiam ſe defendiſſe, jactitat *in l. 43. ff. de act. empt.* Atque ita ſub voce *quidam* plerumque Vlpianum refellere, obſervat *Cujac. lib. 3. quæſt. Paulli p. 72. ut in l. 8. uſufruct. quemadmod. cav. l. 9. heredi §. ſi duor. ff. de condit. & demonſtrat. l. pro emptore, §. ſi in diem. ff. pro empt. adde l. 3. §. 2. ff. mandat. l. 6. ff. de fideicomm. libert. l. 1. §. fin. de acquir. vel am. poſſeſſ. In l. autem 40. ff. de reb. creditis,* non indicari Vlpianum, ut quidam arbitrantur, ſed potius Papinianum, quippe qui in ea fuit ſententia *l. debitor. ff. eod.* cum Vlpianus cum Paullo conſenſerit, *in l. rogaſti. §. 1. eod.* notat *Cujac. l. cit.* Atque idcirco facile crediderim, magna inter hoſce opinionum fuiſſe diſſidia, quin etiam diverſarum ſcholarum unumquemque ſibi delegiſſe ſequendas ſententias. *Vid. Cujac. in not. ad animadverſ. Robert. lib. 1. c. 17. p. 444. Alberic. Gentil.*

Digitized by Google

de nupt. lib. 5. cap. 10. p. 539. Quantumvis enim *Cujac. in Paulli lib. 26. Edict. p. 2.* Paullum inter eriſcundos reponat per *l. 3. ſi pars hered. pet. l. 7. ut legator.* attamen eum in Sabini ſententias fuiſſe proniorem, haud adeo infirmis argumentis liceat colligere. Principio enim cum a Labeonis ſchola divortium meditaretur, ejus ſcripta notis confutanda ſibi ſumpſit: Id quod exſecutus eſt in epitome, qua Labeonis πιθανῶν libros contraxit. In quibus ſæpius diſerte Labeonis ſententiæ adverſatur, eamque oppugnat, *Vid. l. 79. ff. de R. V. l. ult. ſi ſervit. vindic. l. 53. §. 1. de act. empt. vend. l. ult. locat. cond. l. 5. de inſtruct. vel inſtrum. leg. l. 91. de furt. l. 28. de capt. & poſtlim. rev. &c.* in quarum plerisque ἀλλοτρίαν odium ſuum in Labeonem profitetur his verbis, *Minime*, *Imo contra.* Quin præter Labeonem quoque Neratium Proculejanum notis ſuis reprehendit, editis ad eum libris IV, quarum notarum meminit *l. 63. ff. de donat. inter. vir. & uxor.* Atque ita e contrario plerumque Sabini ſententiam diſerte ſequitur, ut *l. 3. §. 3. ff. de acquir. vel am. poſſeſſ. in l. 10. ff. de hered. inſtit. expeditum eſt, quod Sabinus ſcribit, l. 50. pr. de legat. III. plerumque ſentiendum, quod Sabinus ait, in l. 9. ff. quæ in fraud. credit. verior eſt Sabini ſententia.*

tia. Quinimo diſerte Juliano quantum tribuat, oſtendit *in l. 43. ff. de act. empt.* ubi is qui conſulebat ita: *Ego cum meminiſſem, & Julianum in ea ſententia eſſe, &c. quæro, quæ ſententia vera eſt:* Reſpondit Paulus, *Semper probavi Juliani ſententiam.* Hoc vero omnium maxime hanc mihi ſententiam de Paulo adfirmat, quod & ipſe Præceptore Scævola Sabiniano illo uſus videtur, eumque imprimis magnifeciſſe, quod inde liceat intelligere, quod multoties Scævolam *ſuum* appellitet. Sic *in l. 24. §. 2. ff. de minorib. Scævolæ noſtro viſum eſt; in l. 38. §. 3. de vulg. & pupill. ſubſtit. Q. Cervidius Scævola noſter dicebat; in l. 6. §. 2. de reb. auctor. jud. poſſid. Scævola noſter ait; l. 27. §. 2. de pactis: hæc & Scævolæ noſtro placuerunt. add. l. 32. ff. de excuſat. l. 56. ff. de jur. tot.* Atque hunc Scævolam frequentaſſe Paulum, apparet ex *l. 19. ff. de lib. & poſth.* ubi ſe eum diſputantem audiviſſe innuit his verbis: *Scævola reſpondit, non valere, & in diſputando adjiciebat, ideo non valere, &c.*

Denique & paucis de Vlpiano videamus, quem, ſiquidem jam de Paullo res liquida ſit, fuiſſe Sabinianæ ſectæ, facilius dignoſcere licebit, eum contrariæ ſine dubio ſcholæ dogmata eum foviſſe exiſtimemus. Vti igitur

Paullus Labeonis, ita hic Sabini ſcripta notis perſtrinxit, ad eaque ſcripſit libb. LI. quos perperam nonnulli credidere Fabio Sabino illi, quem *Lampridius* inter Papiniani diſcipulos recenſet, inſcriptos fuiſſe, atque idcirco ad Sabinum dictos. Quo nomine vapulat quoque *Antonio Mercatori in not. ad Robert. lib. 1. cap. 14. Joan. Robert.* Trivialis error hic fuit, primum notatus *Antonio Auguſtin. emend. lib. 2. cap. 6.* Hiſce igitur notis ſatis oſtendit animum ſuum a ſchola Sabiniana alienum. Itaque nonnunquam cum Sabini ſententiam recipere coactus eſt, ita frigide eam admittit: ut *in l. 71.* §. *9. ff. de adquir. vel amitt. hered. magis eſt, ut putem, iſtic ſententiam Sabini accipiendam.* Qui quæſo quam illudit Sabino *in l. 11. de in diem addict. fundum in diem addici iterum non poſſe, qui ſemel addictus fuit, aſſerenti, quod prioris fiat confeſtim emptoris: ſcilicet* (ſuperbe ſatis addit Vlpianus) *quaſi non videatur melior conditio allata, quia non ſecure: in l. 17. §. 5. de præſ. verb. ait, nec recipienda eſt Sabini opinio.* Imprimis hanc in rem notari meretur *l. 12. C. de condict. indebit.* ubi in quæſtione, de qua cum Papiniano decertabat, Proculejanæ ſcholæ auctores, Celſum & Mercellum, ad partes ſuas vocat, ſibique conſonan-

tes

tes refert, cum Papinianus Sabinianorum auctoritate uteretur.

Hæc ſunt, quæ de pleriſque Jureconſultorum hæreſibus, & quibus addicti ſectis fuerint, huc congerere per temporis ac inſtituti rationem licuit: Nunc, quæ reliqua ſunt, perſequamur.

CAP. VII.

De Veterum Jureconſultorum, diverſas ſectas ſequentium, indole diverſa, eorumque modeſtia.

DE eruditione veterum Jureconſultorum, ac peculiari cujusvis ſcribendi genere, non inerudita quædam obſervavit *Angel. Politian. lib. 5. epiſt.* Nos imprimis in diſcernenda diverſarum ſcholarum indole operam noſtram collocabimus. Cujus quidem rei jam tum fundamenta jecimus, quando ſuperius de diverſo eorum ingenio, qui harum familiarum fuerunt Principes, diſſeruimus: Ita ſcilicet Attejus Capito, cum Labeoni obniteretur, veterum Jureconſultorum ſententiis plerumque inhæſit, cum Labeo ſua ingenii fiducia pleraque innovare conaretur *l. 2. §. 47. ff. de O. I.* Hinc factum, ut, qui ex Atteii

 ſcho-

Digitized by Google

ſchola prodierunt, Sabiniani & Caſſiani, magis etiam ad opiniones veterum deflecterent, quam factum a Proculejanis. Indicat id *l. 6. ff. de condict. ob turp. cauſ. Perpetuo Sabinus veterum probat ſententiam exiſtimentium, &c.* Conſ. *l. 27. §. 21. ff. ad L. Aqu. l. 51. §. 1. ff. eod. l. 12. de auctorit. tutt. l. non omnium ff. de legib. Vid. Merillium Obſ. lib. 1. cap. 9.* cum contra Proculejani novis plerumque ſententiis, ſuisque figmentis, delectabantur, quod perſpicue cernere eſt in Ariſtone, de quo Jureconſultus *in l. 1. §. 9. ad L. Falcid. Veteres*, inquit, *æſtimandum totum uſumfructum putabant, & ita conſtituendum, quantum ſit in legato, ſed Ariſto a veterum opinione receſſit.* Imprimis autem cauſam diſſidii inter haſce familias dediſſe diverſam, quam ſequebantur, philoſophandi rationem, probabile videtur: Siquidem Sabiniani non adeo philoſophorum ſententiis ſe mancipabant, ut Proculejani, quibus Stoica præcipue philoſophia in deliciis erat. Hanc enim jam a Labeone per manus ſibi traditam ſummo ſtudio excoluiſſe eos, oſtendit *Em. Merill. Obſerv. lib. 1. cap. 14. & ſeqq.* quod jam ſupra attigimus.

Inde eſt, quod Proculejani Arithmeticam proportionem, Geometricam vero Sabiniani

ani ſequebantur, illi ſcilicet more Stoicorum. *Vid. l. 50. ff. de Leg. 1. l. 13. de lib. & poſth. l. 23. C. de legib. l. 21. C. de furtis.* Conf. *Merill. d. l. Obſerv.* quo ipſo capite, ut & præcedentibus ſubſequentibusque, multa quæ huc faciunt, congeſſit. Quale & illud eſt, quod Sabiniani, naturalem rationem plerumque ſecuti, in iis caſibus, qui rationi videbantur magis conſentire: uti in illa de ſpecificatione controverſia *in l. 7. §. 7. ff. de A. R. D.* ibi; *magis naturalem rationem evincere:* Cujus & illuſtre exemplum eſt *in l. 65. §. 3. ff. de legat. 3.* ubi Marcellus ex ſententia Sabinianorum (hoc enim ſub vocule *alii* indicat) pronunciat de ornatricibus legatis, *quia humanæ naturæ magis id eſſet congruum.* In vocum etymologiis & ambiguitatibus curioſiores erant Proculejani, quam Sabiniani: ita, ut nonnquam inde argumenta duxerint: ut ex Labeone refert *in l. 77. ff. de contrah. empt.* *Javolenus, ſi lapis non ceditur, non ibi ſunt Lapidicinæ.* Sic ex vocis *poſſidere* accurata contemplatione negat Labeo, ſi plures ſint in fundo, qui ignorent, quotam quisque partem poſſideat, *eos mera ſubtilitate* poſſidere, *in l. 32. §. 2. ff. de uſurpat. add. l. 20. ff. de reb. cred. Vid. Phil. Iacob. Mauſſacum in diſſert.*

crit.

crit. Harpocrationi annex. Ioannem Bellonum de arg. leg. cap. 1.

A qua ſubtilitate Sabiniani erant alieniores, quippe qui potius rem ipſam pertractabant, &, quantum licebat, æquiores amplectebantur ſententias. Oſtendit id exemplum Pauli *in l. 20. §. 2. ff. de ſerv. præd. urb. ſi ſublatum,* inquit, *ædificium ſit, ex quo ſtillicidium cadit, vel eadem ſpecie & qualitate reponatur; utilitas exigit, ut idem intelligatur, nam alioquin, ſi quis ſtrictius interpretetur, aliud eſt, quod ſequenti loco ponitur.* Conſ. *l. 51. fin. ad L. Aquil. Imprimis vero l. 13. ff. de lib. & poſth. ubi Iulianus: quamvis ſubtili regulæ Iuris conveniebat, ruptum fieri teſtamentum, tamen ad bujusmodi ſententiam humanitate ſuggerente decurſum eſt.* & *l. 25. ff. de donat. Quæ eſt* Javoleni, *quantum ad juris ſubtilitatem accipientis facta, ſed benignius eſt, &c.* Sic & Scævola: *benigna interpretatione placet, in l. 67. ad SC. Trebell.* & imprimis Juliani humanitas toties laudata reperitur Vlpiano, ut in colligendis exemplis operam conſumere tædeat. Quantumvis tamen meminerim, & Sabini ſcrupuloſitatem aliquando notatam *ab Imp. §. 36. Inſtit. de Legat.* Eſſent quidem multa hic accuratius evolvenda, ſed cum id nec temporis

nec

Digitized by Google

nec inſtituti noſtri ratio nunc permittat, fraudi non erit, hæc levi ſaltem brachio attigiſſe, quæ uberius aliquando, cum ocium erit, illuſtrandi animus eſt.

Progredior nunc ad alteram capitis hujus partem, modeſtiam nimirum veterum Jureconſultorum, tam eorum, qua in confutandis adverſariorum ſententiis uſi, quam qua ſuis etiam erroribus, agnita veriori opinione, ſine ulla pervicacia renunciarunt. Exemplo ſane eſſe meretur inſignis illa modeſtia, quando contrarias opiniones impugnant, quam pereleganti oratione celebrat magni nominis Jureconſultus *Anth. Matthæi de modeſt. veter. Iureconſult. Falſum id eſſe dicunt, quod ille ajat, l. 49. §. 2. ff. de legat. 2. non eſſe verum, l. 3. §. 3. ff. de A. vel A. P. ſibi magis placere, l. 12. §. 1. de aqua & aqua pluv. commodius dici, l. 4. §. 7. ff. de uſurpat. & uſucap. Ego contra, mihi videtur, nos & hic opinamur, l. 3. ff. de rivis. Ego proclivior ſum, l. 11. §. 15. ff. de leg. 3. vereor ne non ita ſit, l. 59. §. 1. ff. de jure dot. Vereor ne poſſit ita eſſe, l. 45. §. 5. ff. de Ritu nupt. ad l. 67. ff. eod.* Conf. *Duaren. 2. diſp. 11.* Quin ipſorum diviſæ hujus familiæ Principum, Atteii Capitonis & Antiſtii Labeonis, illuſtre exemplum eſt. Quamvis enim & ingeniis & ſententiis eſſent diſ-

diſſimilimis, non tamen Labeonis nomini ac famæ derogare quicquam voluit Attejus; quippe cum in epiſtola apud *Gell. lib. 13. cap.* 12. Labeonem laudet ut *Legum jurisque apprime doctum.* Scilicet ita veteres illi laudabili ac honeſta æmulatione ſe invicem excitabant, non, quo alium ſupplantarent, aut honori ac famæ ejus, quoquo modo poſſent, irent obſtructum, multo mininus neſcio qua bile perciti acrius, quam decebat, animum humanitate imbutum in antagoniſtas in veherentur, ſed ſolæ literæ, ſola ipſis ſtudia, meta ac carceres erant, in quibus, ceu patentiſſimo ſtadio, æmulationis ardor continebatur. Plane ut de Hortenſio, æmulo ſuo, ſcribit *in Bruto* 1. *Cicero: Dolebam* (*ſcil. morte Hortenſii*) *quod non adverſarium aut obtrectatorem laudum mearum, ſed ſocium potius & conſortem glorioſi laboris, amiſeram; Et enim, ſi in leviorum artium ſtudiis proditum memoria eſt, Poëtas nobiles æqualium Poëtarum morte doluiſſe, quo tandem animo interitum ejus ferre debui, cum quo certare glorioſius erat, quam omnino non adverſarium habere, cum præſertim non modo nunquam ſit aut illius a me curſus impeditus, aut ab illo meus; ſed contra ſemper alter ab altero adjutus, & communicando & monendo & fa-*

ven-

vendo. Etſi autem jureconſulti illi veteres nonnunquam humanæ fragilitatis culpa alios quosdam ſugillaſſe, non diffiteamur, id tamen obſcure plerumque factum, & εἰρωνικῶς, non tamen impudenter adeo, ut modeſtiæ penitus fines excedant. Exempla ejus rei lubet quædam ſubjungere. *Paulus in l. 9. ff. in quibus caſis ping. vel hypot.* Nervam ſcribit deriſum, qui per feneſtram monſtraverat ſervos ob penſionem detentos liberari poſſe. Quod tamen non inſultando, ſed argumentando factum fuiſſe, putat *Cujac. obſerv. 17. cap. 39.* Mutii illa in Scævolam objurgatio *in l. 2. §. 43. ff. de O. I.* familiaritatis potius, quam infenſi animi indicium eſſe videtur. Sed *Alciatus lib. 4. parerg. cap. 1.* Scævolam putat a Claudio rideri *in l. 109. ff. de condit. & demonſtr.* ubi Claudius notat ad reſponſum Scævolæ: *Magno ingenio reſpondit Scævola de jure aperto, cum poteſt dubitari, an in propoſito condicio eſſet.* Nec ironia caret illa *Ulpiani in l. 3. §. 2. ff. de admin. & pericul. tut.* elegans & aſtuta formula: *Blandiuntur enim ſibi, qui putant, honorarios tutores eo nomine non teneri: tenentur enim ſecundum ea, quæ ſupra oſtendimus. Paullus in l. 38. §. ult. ff. de A. vel A. P.* Q. Mucii ſilentium vocat *ineptiſſimum.* Idem videtur & Marcelli notas

in Ju-

Digitized by Google

in Julianum reprehendiſſe *in l.* 82. *ff. de Legat.2.Calumnioſa enim illa annotatio eſt,poſſe legari ſervo, &c.* Utuntur nonnunquam in refutandis perſtringendisque ſententiis hiſce vocibus, *perabſurdum, inconditum, incivile eſt. Vid. l.* 17. §. 22. *de iniuriis, l. 86. de ſolut. l.95.* §. 2. *de fidejuſſor. l. 8.* §.7. *de precario, l. 4.* §. 3. *de ſtatu lib. l.* 15. *de manumiſſ. vind. l.* 63. *ad L. Falcid. Iulianus in l.* 30. *ff. de lib. cauſa: Ridiculum eſt arbitrari.* Oſtendunt nonnunquam, adverſariorum ſententias parum auctoritatis habere propter illorum, qui eam tuebantur, contemptum: ut Proculus referente *Vlpian. in l.* 17. §. 4. *ff. de ædilit. edict. Quod plerumque ab imprudentibus dici ſolet, non eſt verum.* Cujus notæ & illud Paulli eſt *in l. 56. ff. de evict. non tamen, ut vulgus opinatur, etiam ſatisfacere debet, &c.* E contrario ſuæ ſcholæ auctores honeſtiori nomine indigitabant: *Papinianus in l.* 54. *pr. ff. mandat. Placuit,* inquit, *prudentioribus, affectus rationem in bonæ fidei judiciis habendam, & Vlpian. in l. 6.* §. 2. *ff. ad municipal. Viris prudentibus placuit, duobus locis poſſe aliquem domicilium habere.* Nonunquam, cum diſplicet contraria ſententia, humanitatem obtendunt, & ſententiam, a qua diſcedunt, ut

ut duriorem incuſant. Sic *Vlpianus in l. 14. §. 9. ff. quod met. cauſa* Labeonis primo exponit ſententiam, tum addit: *Quod cum durum videbatur, ita temperandum eſt. Paullus in l. 19. §. 2. ff. comm. divid. Durius ait Pomponius, communi dividundo vel pro ſocio agi poſſe.* Similiter Papinianus *in l. 87. ff. de leg. 1. Duriſſima ſententia eſt exiſtimantium, denegandam filio legati petitionem, ſi patris abſtinuerit hereditate.* Quemadmodum idem *in l. 2. §. 1. ff. de cuſtod. & exhib. reor. ſed hæc interpretatio perdura, per nimirum ſevera.* In cæteris tamen, omnibus excellit imprimis acutiſſima Celſi ſugillatio, cui perquam familiare, ſententiis aliorum illudere, ac ſe iisdem velut in contemptum oblectare: Ita enim Proculi ipſius, cujus tamen ſequebatur ſcholam, ſententias eleganter aliquando deriſiſſe, ſcribit *Vlpianus in l. 10. ff. de negot. geſt.* Idem aliquando durius in Domitium Labeonem legitur invectus *in l. 27. ff. qui teſtam. facere poſſ.* Cum enim rogaſſet Labeo, an teſtium numero habendus eſſet is, qui, cum rogatus eſſet ad teſtamentum ſcribendum, idem quoque, cum tabb. ſcripſiſſet, ſignaſſet? Reſpondit Celſus: *aut non intelligo, quid ſit, de quo me quæris, aut valde ſtulta eſt conſultatio tua. Plus enim quam ridicu-*

F *lum*

lum eſt, dubitare, &c. Sic *in l. 67. §. 2. ff. de furt. quid tam ridiculum eſt.* Et *in l. 59. §. 1. quidam putant, &c. quod totum ineptum & vitioſum eſt. in l. 27. ff. de uſurpat. Celſus errare eos ait.* Et ſane videtur hic Celſus non adeo partium ſtudiis addictus fuiſſe, quin imo liberrima voluntate in utraque verſatus hæreſi, &, quæ ſibi ad palatum fuere, nullo habito ſectæ ſuæ reſpectu, ſelegiſſe. Inde ſæpius Sabinum ſecutus legitur, ut *in l. 9. de ſervitut. l. 9. ſi ſervit. vindic. l. 6. de condict. ob turp. cauſam.* Illud quoque ad modeſtiam eorum referendum videtur, quod, cum nonnunquam adverſariæ ſcholæ ſententiam perſtringunt, nominibus tamen eorum ad declinandam invidiam ſoleant parcere. Plerumque eos ſub voculis, *quidam, alii*, indicare conſueverunt. *Vid. Bertrand. in Paullo p. 102.* Sic Marcellus *in l. 56. pr. ff. ad L. Falcid. Plerique putant, quod tunc, &c. Ego dubito, quoniam, &c.* Notat hic Sabinianos, ut colligere eſt ex *l. 83. ff. eod.* Ita & *Julianus in l. 21. ff. de mort. cauſa donat. & Cajus in l. 57. pr. ff. de manumiſſ. teſt. Sane ſunt quidam, &c. Sed mihi traditum eſt.* Idem *in l. 18. §. 1. ff. commod. ſcriptum quidem apud quosdam invenio, quaſi dolum tantum præſtare debeas, ſed videndum, ne & culpa*

pa ſit præſtanda. add. l. 25. §. 1. ff. quæ in fraud. credit. l. 49. §. 1. ff. de fidejuſſorib. l. 73. de ſolut. l. 32. ff. de furt. &c.

Præterea, ut ſupra notavimus, manifeſta ſatis & conſpicua in hoc quoque eſt veterum Jureconſultorum modeſtia, quod non ita nec certæ alicujus ſectæ opinionibus, nec ſuis quoque peculiaribus ſententiis, inhæſerint, ut nonnunquam ab iis diſcedere fas ſibi duxerint. Magna ſane, quod non diffitendum, erat penes eos Præceptorum veneratio, quod luculenter ex hiſce exemplis patebit: *Julianus in l. 5. ff. de manumiſſ. vind. An apud ſe manumittere poſſit is, qui conſilium præbeat, ſæpe quæſitum eſt: Ego cum meminiſſem, Javolenum, Præceptorem meum, in Africa ſervos ſuos manumiſiſſe, cum conſilium præberet, exemplum ejus ſecutus ſum.* Caji hac in parte religionem probat *l. 57. ff. de manumiſſ. teſt. Sunt quidam*, inquit, *qui ſic crediderunt, &c. Sed mihi traditum eſt, hoc jure nos uti.* De eodem teſtis eſt *l. 32. ff. de damn. infect. Eſt & plane*, inquit, *noſtrorum Præceptorum hæc ſententia, ut credamus, inutilem eſſe damni infecti ſtipulationem.* Quantum Caſſius Sabini, Præceptoris ſui, auctoritati tribuerit, ſatis oſtendit *l. 19. ff. de recept. & qui arbitr. recep.* Eodem modo quoque ac-

cipio Paulum *in l. 38. ff. de donat. inter vir. & uxor. Quidam & Nerva ſic putant: quam ſententiam veram accepi.* Et iterum eundem *in l. 27. §. 1. ff. de pact.* ubi, *contra quam quidam putant*, ait, *ſe didiciſſe, prodeſſe fidejuſſori exceptionem.* & *in l. 15. ff. de negoc. geſt. hoc & ego verius eſſe didici. adde l. 20. ff. de jure dot. Terent. Clem. in. l. 5. de op. Servor. hoc & ego didici, & Iulianus exiſtimat. Scævola in l. 48. §. 1. ff. de vulg. & pup. ſubſtit. nos didicimus. Vlpian. in l. 1. §. 25. ff. de vi & vi armat. Proculum didici dicere.* Id circo ille, qui conſulebat *Iavolen. in l. 28. ff. de reb. aut. jud. poſſ.* cum cauſam ſuam expoſuiſſet; *Me*, inquit, *illud maxime movet, quod Præceptoribus tuis placet, unum eſſe teſtamentum.*

Quamvis hæc ita ſe habeant, ab anteceſſorum tamen ſuorum ſententiis ſæpius deflexiſſe, imo interdum & contrariam ſcholam ſecutos, conſtat. Sic *in l. 1. ff. de act. rer. amot.* Paulus ait: *Rerum amotarum judicium introductum eſt adverſus eam, quæ uxor fuit, quia non placuit, cum ea furti agere poſſe, quibusdam exiſtimantibus, ne quidem furtum eam facere, ut Nerva, Caſſio, aliisque, ut Sabino & Proculo, furtum quidem eam facere, ſed furti non eſſe actionem.* Cujac.

jac. quidem *ad Inſtit. tit. de rer. div.* hic permutatas ait eſſe Jureconſultorum familias: Verum enimvero cum id & aliis exemplis demonſtretur, ita ſæpius contrariæ ſcholæ ſententiam Jureconſultos fuiſſe amplexos, non eſt, quod hic mutemus, quemadmodum eam in rem allegat *Gothofred. in d. l. 1. de act. rer. am.* exemplum *l. 11. ff. de jurisdict.* Inde fit, ut diverſæ ſcholæ ſæpius etiam conjungantur. *Vid. Merill. obſerv. lib. 1. cap. 14. ut Sabinus & Proculus in l. 14. ff. de condit. & demonſtr. Sabinus & Caſſius, Labeo & Proculus contra Nervam in l. 12. §. 1. de operis Servor. Sabinus & Pegaſus in l. 4. pr. ff. de condict. ob turp. cauſam. Nerva, Sabinus, & Caſſius contra Neratium in l. 57. ff. de contr. empt. Neratius & Sabinus in l. 17. §. fin. ff. ſolut. matrim. Caſſius & Pegaſus in l. 12. §. 2. ff. de uſufruct. & quemadmodum. Caſſius & Celſus l. 1. §. 3. de fluminibus. Iulianus & Proculus in l. 36. pr. de hered. petit. Celſus & Iulianus in l. 1. §. 3. de uſufruct. accreſcend. Iulianus Proculi opinionem ſequitur l. 6. §. 1. ff. de lib. & poſth.* Quantumvis præterea nonnunquam privatæ ſibi ſententiæ quidam tenaciores eſſent, ut Vlpian. *in l. 3. §. fin. ff. uti poſſid. hoc nequaquam opinandum.* Idem *in l. 10. §. 14. quæ in fraud.*

fraud. credit. hoc certo certius eſt, & in l. 1. §. 1. ff. de leg. 3. conſtanter dicemus, in l. 10. §. 2. ff. de teſt. tut. habet diſceptationem, & fortius dicendum. Paullus in l. 2. ff. ne quis eum qui in jus &c. Sed & fortius dicendum. Sæpius tamen etiam, ubi validiora in contrariam ſententiam rationum momenta cernerent, in eam concedere non detrectarunt, quantumvis antea contrariam ſententiam tenuiſſent: Elegans eſt exemplum Papiniani *in l. 6. ff. de Serv. exportand.* Idemque & in aliis, Juliano Scævola, Mæciano, &c. oſtendunt probantque *Cujacius 4. ad Afric. fol. 39. & Obſerv. lib. 2. cap. 37: Gothofred. ad l. 75. ff. de R. I.* Denique generatim de harum ſcholarum indole pronunciat *Petr. Frid. Mindan. in Tr. de poſſeſſ. cap. 10. num. 9.* Sabinianos longe fuiſſe modeſtiores Proculejanis, hosque interdum παρὰ ῥυθμὸν ad rixas proniores, quo nomine etiam Imp. *in §. cum quis ex alieno. Inſt. de R. D.* Proculejanos, nimium a Sabinianis digreſſos, ad mediam viam revocat. Hactenus de indole ac modeſtia Jureconſultorum; Proximum eſt, ut & de veſtigiis, quæ in Digeſtorum volumine Compilatorum incuria relicta dicuntur, agamus.

CAP.

CAP. VIII.

De veſtigiis diſſentionum inter familias agitatarum, quæ in Digeſtis relicta creduntur, ac de compoſitione earum.

MUltorum pridem acerbis convitiis lacerata compilatorum, Triboniani imprimis, fama, indignisque modis habita, adeo, ut quorumvis, qui hiſce ſeculis laureolam aliquam inter Jureconſultos aucupati ſunt, intercalare carmen fere ſit Triboniani incuria, negligentia, inſcitia, impudentia. Non eum me eſſe ſatis memini, qui afflictam ejus ac prope conculcatam exiſtimationem ab obtrectatorum calumniis vindicare queam: Quo in negotio non defuerunt quoque ævo noſtro illuſtria quædam ingenia, quos operam collocaſſe non pœnituit, ut hac ratione temere nimis expoſitam quorundam ludibrio Jurisprudentiæ Juſtinianeæ dignitatem omni opere tuerentur. Qua interim in re culpam Triboniano adſcribant, ſtrictim recenſet *Jul. Pac. in meth. juris, lib. 2. pag. 25. & ſeqq. Hotomann. in anti-Tribon. cap. 9.* Inter cætera hæc fere ſunt præcipua: 1. quod multa veterum Jureconſultorum loca non

 ſatis

Digitized by Google

ſatis intellexerit, partim propter obſcurum rotundumque eorum dicendi genus, partim propter multa in iis antiquitatis veſtigia, partim etiam propter ſigla & notas, quibus Jureconſultorum libri erant pleni: *Vid. Cujac. ad fragm. Vlpian. tit. 28. Obſerv. lib. 1. cap. 22. & alibi. Freigium in ep. 1. de concept. Digeſt. præmiſſa paratit. Iuris. Borcholt. in tit. de acquir. vel am. poſſ. cap. 8. num. 39.* 2. Quod plurima de ſuo addere, Jureconſultorum ſententias immutare, ac plane interpolare, non ſit veritus. Eorum exempla paſſim liceat colligere in operibus *Budæi*, *Cujacii*, *Hotomanni*, *aliorum*. Sed inſigniter hic induſtriam ſuam nuperrime oſtentavit *Iacobus VViſſembach, Franeckeræ quondam Antecesſor, in libell.* quem *emblemata Triboniani* inſcripſit. Tandem & illud vitio vertunt Triboniano, quod ſtas illas tot antinomiis, tot Legum diſſidiis, tot rationum pugnantiis, nobis concinnaverit refertiſſimas.

Quæ toleranda quidem fuiſſet quodammodo ſocordia, niſi eam altera multo magis funeſta cumulaſſet impudentia, (loquor ore anti-Tribonianorum) quando compoſitis Digeſtis, ipſa Jureconſultorum ſcripta, unde Digeſta confecerat, aboleri juſſit. *Vid. Alciat. in l. apud Labeon. ff. de V. S. Decianum*

in

Digitized by Google

in Apolog. adverſ. Alciat. c. 7. ac Anton. Matthæi de via & ratione juris lib. 1. c. 1. Vnde *Iaſon ad l. 1. ff. de injuſt. rupto teſt.* conqueritur, jus Romanorum in anguſtias a Triboniano detruſum, inde factum, ut in plurimis legum diſſidiis componendis incaſſum laboremus, quod de integra Jureconſulti ſententia & paucis lineolis judicium ferre, admodum ſit difficile. Atque hoc nomine præter alios in Tribonianum invehitur acerrimus ejusdem inſectator, *Anton. Matthæi*, qui modos quoque omnes conciliandorum ἐναντιοφανῶν rejicit *in fundam. jur. diſp. 19.* Item *in diſp. peculiari de Antinomiis juris*, ubi plurima Legum ex ſua ſententia inconciliabilium exempla coëgit. Eam vero diſſonantiam maximam partem ex ſectarum ſtudiis propullulaſſe, ecquis ambiget? Quæ dum perfunctorie nimis excuſſit Tribonianus, nec qua par fuit induſtria rimatus, fieri non potuit, quin Syrtibus ac ſcopulis undique plenum relinqueret volumen. Cæterum, ſi eam induſtriam, quam hoc argumentum exigit, [illegible] in evolvenda hac difficultate collocare, [illegible] eſſet, non tam poſt Homerum Iliada pangere (quod dixerint illi, qui familiarem hanc omnibus ferme cantilenam meminerint, qui non populari via ingreſſi, paullo

 altius

altius Jurisprudentiæ noſtræ μυστήρια perluſtrarunt,) quam ulcus hoc Chironium tangendo temeritatem oſtentare videat. Interim tamen ἀποσπασμάτια quædam, & quaſi fragmenta, quæ ex veterum Jureconſultorum controverſiis relicta nobis, colligere libet.

Ejusmodi eſt Celſi & Juliani controverſia ab *Vlpiano lib. 5. ad Edict. in l. 8. §. ult. de in jus voc.* relata, de liberto, quem Patronus coëgit ad jusjurandum, ne uxorem ducat, an ſcilicet Patronus, ſeu filius ejus, jus ſuum in eo retineret? Negabat Celſus, Julianus contra, quem Vlpianus hic probavit. Nimirum Julianus humaniorem forte ſententiam ſecutus, non levi adeo talo ſtare voluit vinculum illud, ac jus inter Patronum libertumque, quemadmodum & in pari cauſa humanius agit cum Patrono, referente Terent. Clement. *l. 32. ff. qui & a quibus manumiſſ.* Refragari tamen Vlpiano videtur *Paulus in l. 15. ff. de Iure Patronat.* Sed de Pauli ſententia hic nobis conſtare non poterit; idque Triboniani culpa, qui fragmentum illud ex medio opere Pauli decerpſit, &c, de quo jure Paulus ibi agat, dubium nobis reliquit. Ex antecedenti tamen lege, quæ eſt Vlpiani, conjicere licet, Paullum loqui non de juramento matrimonii

non

non ineundi, ſed de juramento Patronatus, de quo in illa lege Vlpianus agebat. Quod ſi enim hunc textum de matrimonio intelligendum cenſeremus, ſui oblitus eſſet Paullus, cum de hoc juramento ejusque effectu aliud ſcribat *in l. 6. §. fin. ff. de jure Patronat.*

Fuiſſe & de pictura controverſiam, an cederet tabulæ, an tabula picturæ, patet ex *l. 23. §. 3. ff. de R. V. & §. 34. Inſt. de Rer. div.* Cujus diverſitatis negligentiorem fuiſſe Tribonianum, ajunt, dum utramque Digeſtis opinionem inſeruit, Sabinianorum quidem *in d. l. 23.* Proculejanorum vero *in l. 9. §. 3. ff. de A. R. D.* Non attingam nunc varias Dd. conciliandi rationes, id ſolum profiteor, levi momento componi poſſe hoc diſſidium, ſi uterque textus probe perpendatur.

Alia Sabinianorum & Proculejanorum exſtat controverſia *in l. 3. & 4. ff. mandat.* An is, qui mandati fines exceſſit, adhuc actionem habeat contrariam in ſummam, de qua inter mandantem ac mandatarium convenerat. Eandem & *Imp. in §. 8. Inſt. mandat.* proponit, & fuſius eam explicat *Cujac. Obſerv. 12. cap. 34.*

Non levis & illa erat controverſia de emptione venditione, an nummo non interceden-

cedente, ſed alia re, venditio contrahi queat, v. g. dedi togam, ut tunicam reciperem: de qua *Paullus in l. 1. ff. de empt. vend. & Imp.* §. *2. Inſtit. de empt. vend.* Hic vero ante omnia animadvertendum, Sabinianos in hac quæſtione videri ſolummodo ad Jus Gentium reſpexiſſe, non habita ratione Juris Romani, nec, quas illud inter contractus hoſce ſuperinduxit diverſitates: Quomodo *H. Grot. de I. B. & P. lib. 2. cap. 12.* ubi agit de contractibus, omnia contractuum genera ad hæc tria retulit, do ut des, facio ut facias, facio ut des: Quam hæc a principiis Juris Civilis ſint aliena, cuivis in promptu erit exiſtimare, interim tamen, ſepoſito hoc Jure Civili, non impertinenter ex natura & ratione Juris Gentium licebit Jureconſulto philoſophari: Id quod feciſſe videntur & Sabiniani, quandoquidem hoc argumento uſi fuere, quod antiquiſſimis gentibus hic contrahendi modus (permutatio ſcilicet) loco emptionis ac venditionis fuerit uſurpatus. §. *2. Inſtit. de empt. vendit.* idque probant *in l. 1. §. 1. de empt. vendit.* teſtimonio *Homeri ex Iliad. η. verſ. 482. & item ζ. verſ. 234. Vid. Bude. ad d. l. 1. ff. de contr. empt. Grot. in not. ad l. 2. de I. B. & P. cap. 12. num. 3.* Sed cum Proculejani regerent, in emptione venditione pretium

inter-

intercedere, quod in permutatione diſcernere, non adeo in proclivi eſſet, hac occaſione Sabiniani ad hanc quæſtionem dilabebantur, annon & in alia re, quam in pecunia numerata, pretium conſiſtere poſſet: Id quod affirmabant: Cujus quidem ſententiæ *Alciatus in l. 2. de Verb. Oblig. num. 18.* patrocinium ſuſcipere voluiſſe videtur, quando neque dum perpetuam inter hæc dari poſſe differentiam, ſtatuit. Vide hæc paullo aliter diſputantes *Salmaſ. de uſur. c. 13. Vinn. comm. ad Inſt.* §. 2. *de empt. vendit.* Cæterum definita poſtmodum hæc controverſia utriusque ſcholæ conſenſu fuiſſe videtur, id quod Jureconſultus voce *placet in l. 5.* §. *1. ff. de præſcript. verb.* indicare voluit. *Quia non placet*, ait, *permutationem rerum emptionem eſſe.* Ita & Impp. *Dioclet. & Maxim. in l. 7. C. de rer. permut. Emptionem rebus fieri non poſſe, pridem placuit.*

Proponitur etiam a Scævola *in l. 14. ff. de Jure Codicill.* quædam Sabini & Proculi differentia, cujus hæc eſt ſpecies. Titius teſtamentum fecit, & Cajum heredem inſtituit, Sejum ſubſtituit: Adjungit teſtator poſtea codicillos, ante eos autem perfectos moritur inſtitutus heres Cajus, quæritur: an Sejus ſubſtitutus ad legata præſtanda teneatur, quæ codi-

codicillis adſcripta ſunt. Adfirmabant id Sabiniani, generali hac regula moti, codicillos vires ſuas ex teſtamento capere, *l. 3. §. 2. ff. de Iure Codicill. l. 1. C. eod.* Jam vero cum teſtamentum hoc caſu valeret, idcirco & codicillos eadem ratione valituros. Scævola vero hic ad Proculi partes ſecedens, hoc argumento Sabini opinionem confutat: prius perſonam eſſe quærendam, quam juris rationem; cum vero is, cui relictum erat legatum, in rebus humanis tempore factorum codicillorum non fuiſſet, inutile illud principio ſtatim fuiſſe, conſtat. Idcirco contra Sabinum conſtitutum fuit, ut ſi eo tempore, quo cui legaretur, in rebus is humanis non eſſet, legatum pro non ſcripto haberetur: *Vlpian. in l. 10. ff. de h. q. pro non ſcript. add. l. 2. §. 1. ff. de jure codicill.*

Ingens quoque de ſpecificatione diſſenſio harum ſcholarum fuit, quam proponit *Caj. in l. 7. §. 7. de acqu. rer. dom. & Imp. in §. 25. Inſt. R. D.* Hujus controverſiæ veſtigia relicta dicunt *in l. 61. ff. de R. V. & l. 26. pr. ff. de A. R. D.* in quibus conciliandis multos labor eſt interpp. *Vid. Donell. lib. 4. c. 12. Lyclam. 7. membran. eclog. 5. Em. Merill. obſerv. 2. cap. 21. Vngepaur. exerc. pag. 274. Ant. Faber conject. lib. 6. cap. 15. Bacchov. ad Treutl.*

vol.

Digitized by Google

vol.2.diſp.20.theſ.7.lit. A. B. D. Strauch. diſſ.6.num.50.

In materia poſſeſſionis nobilis eſt illa *de poſſeſſione duorum in ſolidum* controverſia, cujus etiam ſuperſunt veſtigia, ut apparebit, ſi conferas *l.15.§.4.ff. de precar. l.3.pr.ff. uti poſſidetis, l.15.§.17.18.19.ff. de dam. infect. cum l.3.§. ex contrario ff. de A. vel A. P. l. 19. ff. de precar. l.5.§.ult.ff. commod.* Adeoque fruſtra videtur eſſe *Mindanus*, qui diſſenſionem hic inter Jureconſultos fuiſſe negat, argumentis, rigidum examen non paſſuris, *tract. de poſſeſſ. cap.10.n.5.11.12.13.* Cæterum de tota hac controverſia eruditiſſime egit *Georg. Biccius in comm. ad l. poſſideri §. ex contrario ff. de A. vel A.P.* Conf. *Aurel. Galvan. de uſufruct. cap.34.n.15. Cornel. a Rentelen. controv. jur. tit. de A. vel A.P. q.55.56.57. Borcholt. de A. vel A. P. cap. 6. num. 18. & ſeqq. Bacchov. ad Treutl. vol. 2. diſp. 21. lit. K.*

Alias quaſdam paullo leviores habemus *in l.26.§.2.ff. de legat. 1. l.28.ff. de A. R. D. l.1.§.14. ff. ad L. Falcid. l. 115.§. L. Falcid. V. O. l. 138. ff. eod. &c.*

Quod tandem compoſitionem harum controverſiarum attinet, pleraque jam antevertimus annotare ſuperius, quæ hanc in rem adferri

adferri poſſent. Imprimis autem illud animadvertendum, ſiquidem litis exitum ipſi non reperirent inter ſe Jureconſulti, ad Principem ejus arbitrium fuiſſe delatum, qui definitiva ſententia pronunciata, ulteriorem ſimul altercandi materiam præcidebat: *Vid. Em. Merill. obſerv. lib.* 1. *cap.* 22.

Sic aliquando ſecundum Proculi ſententiam reſcriptum eſſe, teſtatur *Paulus in l.* 7. *ff. quæ in fraud. credit.* & *Papinianus in l. ult. ff. ſi a parente quis manum.* refert, ex conſilio Neratii & Ariſtonis Trajanum aliquando reſpondiſſe. Demum vero Juſtinianus Imp. plerisque, ſaltem præcipuis, veterum Jureconſultorum controverſiis finem imponere ſtatuit, unde L. Deciſiones illas promulgandas curavit, quibus veterum Jureconſultorum altercationes ſe compoſuiſſe gloriatur *in l.* 2. *C. de vet. jur. enuc.* Quibus de deciſionibus pluribus nunc agere non vacat. Illuſtre hoc argumentum diverſimode magnorum Jureconſultorum operam fatigavit. *Vid. Franciſ. Raguell. comm. ad L. Deciſ. Em. Merill. obſervat. ad L. Deciſ. Ludwell. diſp. de iisdem. Magnif. D. Strauchii, quondam Præceptoris mei ætatem devenerandi, Exercit. ad L. Deciſ. Juſtinian.*

CAP.

CAP. IX.

De Auctoritate diverſarum ſcholarum, ac de diverſo Jurisprudentiæ ſcholarumque Impp. tempore, fato.

QVod ultimum jam reſtat diſſertationis noſtræ membrum aggredimur, auctoritatem videlicet diverſarum ſcholarum, quæ inde æſtimanda imprimis videtur, quorum ſententiam uſus fori comprobaverit, ac pro certo jure recepta fuerit. Omnino enim credibile eſt, alteram ex hiſce familiam honore ac fama eluxiſſe, quamquam vix veriſimile ſit, perpetuam ac æqualem ſemper penes alteram fuiſſe auctoritatem, ita, ut non alternis potius vicibus modo hujus, modo illius ſcholæ prævaluerit exiſtimatio, id quod ex iis, quæ nunc adferenda, liquidò apparebit. Hujus autem rei ipſi Jureconſulti nobis anſam præbent, dum *auctoritatis veterum* meminerunt: Sic enim Pomponius *l. 2. de O. I. 42. Gallum maximæ auctoritatis fuiſſe* dicit, §. 44. *Alfenum plurimum auctoritatis habuiſſe*, §. 47. *maximæ auctoritatis fuiſſe Capitonem.* paullo poſt: *Caſſius plurimum in civitate auctoritatis habuit.* porro: *Proculi major auctori-*

tas fuit, nam etiam plurimum potuit. Item *Scævola in l. 67. §. 3. ff. de Evictionibus: Quidam exiſtimaverunt, ſed auctoritas Servii prævaluit, exiſtimantis &c. Imp. in Inſtit. princ. de Codicill. Trebatii auctoritas tunc maxima erat.*

Quod jam attinet diverſarum familiarum auctoritatem, Proculejanis plerique præcipuam tribuunt. *Vid. Gædda. add. l. ff. de Reg. Juris. Bachov. ad Treutl. vol. 1. diſp. 17. th. 5. verb. aquam quærere. D. Georg. Bitſcium in comm. ad l. 3. §. 5. ff. de A. vel A. P. part. poſt. membr. 2. qu. 5.* Moventur imprimis Pomponii verbis modo allatis. Cæterum textus hic, probe examinatus, nequaquam illi opinioni adſtruendæ facit. Non enim ibi Pomponius comparationem inter Proculejanam & Sabinianam ſcholam inſtituit, ſed illud aſſerit ſolum, Proculi auctoritatem Nervæ potiorem fuiſſe. Nec illud pro auctoritate Proculi facit, quod *in l. 7. ff. de Jure Patronat.* a DD. Fratribus *non levis auctor* vocetur; Nullius enim ferme Jureconſulti encomio pepercerunt Impp. Parum quoque veritatis illi videtur ineſſe aſſertioni, in definienda quadam controverſia Proculejanorum auctoritatem præpolluiſſe. In contrarium enim ſæpius Sabinianorum ſenten-

tias

tias fuiſſe receptas, multis exemplis demonſtrari poſſet. *Vlpian. in l. 7. §. 8. ff. de donat. inter vir. & uxor. cum Sabini ſententia ſit recepta.* Idem *in l. 3. §. 8. fin. ff. de lib. & poſth. Ita Sabinus & Caſſius & Iulianus putant, quæ ſententia comprobata eſt. In l. 70. §. 2. ff. de Legat. 3. Sabini ſententia utimur. In l. 20. pr. ff. de uſurpat. & uſucap. obtinuit Sabini & Caſſii ſententia.* Quinimo ipſe Imp. in L. illis Deciſionibus diſerte nonnunquam Sabinianorum ſententias amplectitur. *Veluti in l. 3. Cod. de poſth. hered. inſtituend. Cumque Sabiniani exiſtimabant, ſi vivus natus eſſet, etſi vocem non emiſit, rumpi teſtamentum, apparetque, quod, etſi mutus fuerat, hoc ipſum faciebat, eorum etiam nos laudamus ſententiam, & ſancimus.* Pariter & *in l. 10. Cod. de impub. & al. ſubſtit.* quæſtionem proponit, de qua inter antiquos auctores dubitabatur, poſtea Sabini ſubjungit ſententiam, additque: *Nos ejusdem Sabini ſententiam veriorem exiſtimantes, ſancimus.* Vnde apparet, hiſce argumentis qui judicium ferunt, nimis imbecilli fundamento niti, atque idcirco hæc ex intima hiſtoria videntur eruenda, eaque ad inveſtigandam veritatem optima interpres & hic nobis viam munibit, atque ita tam de diverſarum ſcholarum, quam univerſæ juris-

Digitized by Google

prudentiæ diverſis Impp. temporibus fato, mantiſſæ loco, quædam ſubnectere non erit incongruum. Ac principio quidem jam tum inclinante in ſervitium Reipubl. libertate, juriſprudentiæ ſtudium magnopere cœpit obſoleſcere, partim exinde, quod tumidi ambitione plerorumque animi, qui libertate conculcata ſibi imperium adfectabant, hanc togatæ militiæ gloriam in minimis habebant, partim, quod propterea deſertam velut a præclaris ac illuſtribus ingeniis Juriſprudentiam invaderent rabulæ illi, dicacitatis pleni. Innuere id videtur *Cicero lib. 2. offic. Itaque*, inquit, *cum multa preclara Majorum, tum quod optime conſtituti Iuris Civilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio atque interpretatio, quam quidem ante hanc temporum confuſionem in poſſeſſione ſua retinuerunt Principes, nunc ut honores, ut omnes dignitatis gradus, ſic hujus ſcientiæ ſplendor deletus eſt:* Et in epiſt. ad Valerium *lib. 1. fam. epiſt. ult. M. T. C. S. D, Valerio Iureconſulto: Cur tibi hoc nomine gratificer, neſcio, præſertim, cum hiſce temporibus audacia pro ſapientia liceat uti.* Sed Auguſtus, conſtituta ex arbitrio ſuo republ. proſtitutæ adeo nobiliſſimæ huic ſcientiæ ſuccurrere voluiſſe videtur, quando conſtituit, ne quis publice, niſi impetrata venia, reſpon-

ſpondendi munus ſibi arrogaret, *Pompon. l. 2. de O. I.* §. 47. Vnde Tribonianus *in* §. 9. *Inſt. de I. N. G. & C.* Jureconſultos definit, *quibus jus reſpondendi a Cæſare datum erat.* Hic igitur Imp. magno in pretio habuit Jureconſultos, Trebatium imprimis, ut ex *Horat. 1. ſat. 2.* conſtat, quem etiam in conſilium præter cæteros adhibuit, quando jus codicillorum introducere voluit, *pr. Inſt. de Codicill.* Hujus autem diſcipulum pari non habuit numero: Labeonem dico Antiſtium, qui, ut a vita communi abhorrebat, ita nec in conciliandа Auguſti gratia multum ſollicitus, ſibi Muſisque vacavit. Sed Attejus Capito majorem apud Imp. conſecutus auctoritatem, dum, ut ventus in alto erat, exin vela capere gnarus, aulæ ſe accommodabat, atque adeo in ſtudiis etiam juris civilis ea ſequebatur, quæ præſenti rerum ſtatui magis apta videbantur, cum Labeo novis ac commenticiis opinionibus minime indulgens, contraria plane via incederet. Hæc, ut ſupra demonſtratum, prima novarum factionum exordia, quæ deinde magis exarſere inſecutis TIBERII temporibus: Hic quidem Imp. principio a cultu Jurisprudentiæ non adeo abhorruit, id quod ea, quæ ex reſcriptis ejus ſuperſunt, inter alia perſpicue oſtendunt. *l. 41. ff. de hered. inſtit. l.*

Digitized by Google

38. §. ult. ff. ad l. Iul. de adult. Vid. Magnif. D. Rebhan, Patronum ac Præceptorem meum multis nominibus honorandum, in hodeg. chart. 1. pag. 6. Sed cum paullatim in pejus mutaret, etiam poſtea non adeo Jurisprudentiæ curam habuiſſe, arbitrandum: Id quod innuit *Tacit. ann. 3. cap. 25. Omnes domus delatorum interpretationibus ſubvertebantur, atque, ut ante hac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur.* Foviſſe autem videtur hic utriusque ſectæ quidem aſſeclas: Capitonis enim ſcholam Sabinus ſequebatur, Nerva Labeonis. In utrumvis favoris ejus exſtant indicia. Sabino enim publice reſpondendi copiam fecit, *Pomp. d. l. 2. §. 47.* Nervam autem habuit familiariſſimum, ut ſuo loco oſtendimus. Quoad diſcipulorum tamen frequentiam longe fœcundior ſchola fuiſſe tum Nervæ videtur, quam Sabini. Siquidem præter Nervam filium acceſſit & Proculus, qui celebre admodum nomen ſuum fecit. Cum ex contraria ſchola ſolus ſtaret Caſſius Longinus. Atque hic quidem & publicis muneribus adhibitus eſt, cum Proculus & Nerva ſolis ſe ſtudiis, ac Jurisprudentiæ excolendæ, addixiſſent. Et Caſſium quidem Claudii tempore exulem factum, conſtat, cum Proculus ac Nerva, ejusdemque ſcholæ ſectatores, poſt

tem-

Digitized by Google

tempora Caligulæ, Claudii, ac Neronis ulterius floruiſſe videantur: Quamvis Caligula infenſum ſe ſatis Juriſconſultis oſtendit, quandoquidem, ut *Sueton. in vit. cap. 34.* refert, *quaſi ſcientiæ eorum omnem abolituris uſum, jactavit, ſe effecturam, ne quid reſpondere poſſent præter eum.* Inſecutis Tyrannorum temporibus Juriſprudentiæ ſtudium plane refrixiſſe, veriſimile eſt, quippe cum omnia per fas nefasque libidine agerentur. Vnde & Imp. Alexander *in l. ult. C. de inceſt. nupt.* ad hæc tempora ſine dubio reſpiciens, *Leges*, ait, *Tyrannidis tempore latas nullius momenti eſſe.* Galba, quamvis & juri attenderit, ut refert *Sueton. in vit. cap. 5.* tamen ludibrio eum habuiſſe jus, ex allato *cap. 7. ibid.* exemplo manifeſtum eſt.

Veſpaſiani deinceps tempore reflorescere cœpit Juriſprudentiæ ſtudium, quippe *qui ingenia & artes vel maxime fovit*, teſte *Sueton. in vit. cap. 18.* Hoc tempore reſuſcitata factionum nomina, dum alii PEGASIANI, alii a Cælio SABINO SABINIANI appellati fuerunt. Proculi ſcholam Pegaſus tuebatur, cum Attilicino, Vrſejo Feroce, Nervaque filio. Solus Cæl. Sabinus, vix uno aut altero præcipuo Jureconſulto ſtipatus, Maſſurii dogmata propagabat. Adeoque hoc tempore Pro-

 cule-

culejanæ ſcholæ famam potiorem fuiſſe, facile quis colligat. Pariter & Trajani tempore illuſtres admodum fuere ſcholæ Proculejanæ ſectatores, Celſi duo, Ariſto, Neratius Priſcus; Atque hoſce poſteriores duos in Conſilio Trajani fuiſſe conſtat. Sabiniani ſectatores celebriores fuere tum Javolenus ac Minicius Natalis. Quos Adriani tempore ſecutus eſt Julianus, qui Sabinianæ ſcholæ famam, ſi alius quiſquam, certe inter omnes illuſtrem reddidit quam maxime. Quippe quem tanti fecit Trajanus, ut perpetui Edicti condendi curam ipſi injunxerit, adeoque hic unus ex omnibus Jureconſultis tum temporis eminuit. Hiſce ac præcedentibus ad Veſpaſianum usque temporibus magnopere vel hoc nomine felix fuit Jurisprudentiæ ſtudium, dum & in libris magno numero conſcribendis certatim operam ſuam collocabant Jureconſulti, & in Legibus ferendis emendandisque ſolliciti admodum fuere Impp. Trajanus imprimis ac Adrianus, quorum quæ conſtitutiones vel advocantur vel extant in corpore noſtro, collectas habes apud *Iac. Labitt. in indice pag. 138.*

Succeſſit deinceps fœtura Jureconſultorum, Antonini Pii, Divorum Fratrum, & ſequentium Imperatorum tempore, quos inter

ter

ter æmulationes occultas interceſſiſſe, dubium non eſt: Idcirco pro ſe quisque ſtrenue hoc in Jurisprudentiæ ſtadio decurrebant, & ingenii ac eruditionis documenta in publicum dabant, ut paullatim maturitatem ſuam conſecuta videri poſſet Jurisprudentia: Ex illis vero erant præcipui: *Macianus*, *Gajus Pomponius*, *Cerbidius Scævola*, *Papinianus*, *Paullus*, *Vlpianus*, *Modeſtinus*. Mæcianum quidem Divorum Fratrum tempore floruiſſe, oſtendit ſatis *l. 17. ff. de jure Patronat.* De Gaji ætate conſtat *ex l. utrum. ff. de reb. dubiis*, ubi ipſe Adriani tempora ſuam ætatem vocat. Vnde tamen ſimul intelligere liceat, hæc prima ſaltem Gaji tempora fuiſſe, ſiquidem & pertigit poſtea ad Divorum Fratrum imperium, cum Pomponio, qui circa illa tempora eminere cœpit, familiaris fuerit, ut oſtendit *l. 39. ff. de ſtip. ſervor.* Cerbidius Scævola ſub Marco & Commodo floruit, quo tempore Papiniani ac Severi Præceptorem fuiſſe, teſtatur *Lamprid in Severo.* Papinianus æque de ſua ætate teſtis ipſe *in l. 8. pr. ff. de vacat.* ubi ait: *Optimus Maximusque Princeps noſter Severus Auguſtus decrevit.* Eundem Severum & *in l. 17. ff. de quæſtionibus*, Principem Maximum vocat. Sub exordio vero Imperii Caracallæ interfectus vix

Digitized by Google

ann. 37. attigit: Id quod teſtatur etiam vetus inſcriptio hæc:

ÆMIL. PAVLO. PAPINIANO.
PRÆF. PRÆT. JVR. CON.
QVI. VIXIT. ANN. XXXVI. M. IV. D. X.
HOSTILIVS. PAPINIANVS.
EVGENIA. GRACILIS.
TVRBATO. ORDINE. IN. SENIO.
HEV. PARENTES. INFELICISSIMI.
FILIO. OPTIMO. P. M.
FECERVNT.

Cujus inſcriptionis, uti & omnium veterum fidem, labefactare temere nimis aggreſſus videtur *Galvan. de uſufruct. cap. 13. num. 11.* Demum Paullum & Vlpianum coævos ſub Antonino Caracalla fuiſſe, indubium eſt: Quanquam Paullum natu grandiorem fuiſſe adeoque jam Severi tempore florere cœpiſſe, oſtendat *Labitt. ex l. 25. ff. de appellat.* Vlpianus autem ultra Caracallæ tempora longius vixit, cum & magno penes Imp. Alexandrum in honore fuerit. *Vid. l. 4. Cod. de contr. empt. l. 4. C. locat.* Per Imperatorem autem ſuum, quem toties allegat Vlpianus, ſine dubio Caracallam intellexit, ut apparebit ex collatione *l. 1. & l. ult. ff. de cenſit. & l. 1. §. 1. ff. de ſuis & legit. l. 2. §. fin. ff. ad SC. Tertull. l. 3. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Hujus diſcipulus Modeſtinus *l. 52. §. 20. ff. de furtis*, fere agmen Jureconſultorum clauſit, & cœperunt hic obmuteſcere Jureconſulto-

rum

rum oracula, ſtetitque Jurisprudentiæ Romanæ incrementum. *Vid. Gothofred. man. juris pag. 26.* & paullatim ex Præſidum magis auctoritate, placitoque Impp. corruptorum, jus reddi cœpit. Conf. *Merill. obſerv. 1. cap. 5. & 6. Cujac. 10. obſerv. 4.* quos allegat *Magnif. D. Rebhan. in Hodeget. pag. 9.* Primus autem de jure reſpondendi facultatem Jureconſultis ademit Conſtantinus Magnus *in l. 1. Cod. de LL.* quam poſtea confirmavit Juſtinianus *l. ult. C. eod. Exploſis itaque*, ait, *his ridiculoſis ambiguitatibus, tam conditor, quam interpres Legum ſolus Imp. juſte exiſtimabitur, nihil hac lege derogante veteris juris conditoribus, quia & hoc eis Majeſtas imperialis permiſerat.* Nimirum veteris, inquit, juris conditoribus, ut qui ſuo tempore erant, illis non amplius eam facultatem relictam indicet. Propterea veteres illi etiam juris conditores vocantur *in l. 25. C. de nupt. l. 1. C. de comm. ſervo manumiſſ. &c.* & juris auctores *l. 93. ff. de act. empt. l. 17. ff. de jure Patron. l. 23. C. de Procurat. &c.* id eſt, quorum fide ſententia aliqua de jure conſiſtit, cujus tituli vocisque vim prolixe enucleat *Excell. D. Strauchius exercit. 2. ad 50. decis. Iuſt. cap. 1. num. 13. & ſeqq.* Poſteriores vero illi, qui a tempore Conſtantini ſola docendi Romæ, Conſtantinopoli

poli ac Beryto, (*Vid. D. Strauchius in tract. de metrop. Beryto*) provincia fungebantur, non amplius hoc decorabantur titulo, ſed dicti ſolum fuere Legum doctores *in l. 6. §. 12. ff. de excuſ.* & Juris Civilis Profeſſores ab Vlpiano *in l. 5. §. 5. ff. de extraordin. cognit.* Quamvis valde dubitandum ſit, num Jureconſulti illi, Legum earum auctores, his vocibus uſi fuerint, an potius a Triboniano ſint interpolatæ. Siquidem quibus temporibus adhuc reſpondendi publice libertas eis relicta fuit, Juriſconſulti ac Jurisprudentes dicti fuere; Poſtea vero ab Impp. conſtituti ſunt certi, qui Romæ in Capitolio profitebantur, *Vid. l. unic. Cod. de Stud. liberalib. urb. Rom.* actum demum Profeſſores fuiſſe dictos, credibile eſt: Quod nomen primo Rhetoribus tributum: ſic *Quintilian. lib.* 10. *cap.* 5. Porcium Latronem Rhetorem *primum clari nominis Profeſſorem* vocat. Et *Sueton. cap.* 1. *de claris Rhet. magna Profeſſorum atque Doctorum profluxit copia.* Cum contra illi, qui in foro cauſas agebant, novo nomine *togati* fuerunt dicti. *Juvenal. Sat.* 4.

- - - Veniet de plebe togata
Qui juris laqueos & legum ænigmata ſolvet.

Indeque *Ammian: Marcellin. lib.* 31. *eos togatos vulturios* dixit. Et. *Imp. in conſtit. de nov. Cod. fac.* Dioſcorum ac Præſentinum diſertiſſimos fori Prætoriani togatos vocat; quemadmodum & ſæpius appellantur *in tit. C. de Advocat. diverſor. judic.*

Atque ita, hoc argumento ex inſtituti ratione ſatis pertractato, in illa Demoſthenis voce conquieſcimus γλῶ ὀρῶμϑμ.

SOLI DEO GLORIA.

DE

DE
ORATIONIBVS
PRINCIPVM.

Digitized by Google

I. N. I.

DE

ORATIONIBVS PRINCIPVM.

POſtquam Reſpublica Romana, ab exiguis primum initiis profecta, eo potentiæ ſuæ terminos protuliſſet, ut ipſa tandem magnitudine laborare occiperet, non potuit etiam a communi illa rerum humanarum ſorte, qua (*) *tam hominum quam urbium fata volvuntur*, exemta eſſe. Non hic prolixe cauſas inveſtigare lubet, quibus vaſtiſſimo tunc temporis imperio tanta contigerit mutatio, quippe cum hanc operam jam pridem occupaverint illi, quorum inter illuſtres, quos hæc ætas fert, rerum civilium ſcriptores eminent nomina; ut adeo ſecundum ampliſſimam eorum meſſem, ſpicas colligere, vix operæ pretium videatur. Illud ſaltem animadvertendum, poſtquam Senatui amplius

(*) Senec. epiſt. 91.

Digitized by Google

plius ſua non conſtabat auctoritas, Populo nimia libertate inſoleſcente, & majora ſibi paullatim per vim arrogante, nactos eſſe occaſionem, qui paullo elatiori erant animo, diſſolutæ adeo licentiæ clandeſtinis primum conſiliis inſidiandi, donec tandem diverſis diſtracta ſtudiis ac voluntatibus Civitas, in ſe ſuaque viſcera ferrum cœpit convertere. Tum demum plane ad Tyrannidem via facta, libertas, de qua certabatur, conclamata, victorique in medio præmium conſtitutum ſervituræ civitatis dominatio. Ita nempe evenit, ut fatigata mutuis cædibus reſpublica tandem *aliud diſcordiarum remedium non invenerit, quam, ut ab uno regeretur. Tacit. Ann. 2. 9. n.* Conſ. *Flor. lib. 4. cap. 3. num. 7.*

Igitur *cuncta, civilibus diſcordiis feſſa, nomine PRINCIPIS ſub imperium accepit Auguſtus. Tac. Ann. 1. cap. 2.* Cum enim priſtinæ libertatis memoria civium adhuc exerceret animos, ſatius viſum fuit, eos adornata in ſpeciem quadam libertatis umbra mitigare, dum facilioribus ingeniis imbuerentur, & indignantes mollior conſuetudo permulceret. Idcirco & Pompejus, ſi Cæſarem obtriviſſet, quamvis ſummum imperium vix depoſiturus crederetur, attamen poteſtatem illam aut

Con-

Conſulis aut Dictatoris ἢ τινὸς ἄλλης μαλακωτέρας ἀρχῆς παραμυθούμενος τὸν δῆμον retenturus putabatur, referente *Plutarch. in Bruto p. m. 997. lit. C.*

Ejusmodi igitur ſibi titulum arrogabant, qui nec in libera adhuc Republ. infrequens erat. Dicti enim non ſolum *Senatus Principes*, qui rerum geſtarum magnitudine cæteris præferebatur: quo ſenſu *Vellej. lib. 2. cap. 43. n. 3.* Q. Catulum *omnium confeſſione Senatus Principem fuiſſe*, dicit: ſed illi quoque, qui primi ſententiam rogabantur, qui honos ipſis Cenſorum arbitrio deferebatur: *Vid. Liv. lib. 27. cap. 13. A. Gellium lib. 4. cap. 10. ibidemque animadverſ. Philippi Caroli. Vopiſc. in Aurel. & ibid. Caſaubon. Zamoſc. de Senat. Rom. lib. 1. Tiraquell. ad Alex. ab Alex. lib. 4. c. 11.* Placuit hoc nomine Imperatoribus potentiæ ſuæ lenocinari, atque adeo, qui magis populares videri volebant, id præcipue adfectabant; De Auguſto ſcribit *Dio lib. 53. pr.* Προέμενος τῆς γερουσίας ἐπιμελῶς, ὥσπερ ἐν τῇ ἀκριβεῖ δημοκρατίᾳ ἐνενόμιστο. De Tiberio idem auctor eſt *lib. 57. p. 603.* & de Pertinace *lib. 73. p. 839.* Quo pertinet, quod de Caligula in contrarium refert *Sueton. in vit. cap. 49. Edixit & reverti ſe, ſed iis tantum, qui optarent, equeſtri ordini, &*

Populo,

Populo, nam ſe neque civem neque Principem Senatui amplius fore. Auxit paullatim hæc nominis dignitas, dum progreſſu temporis Princeps Optimi Maximi dicti fuerunt: Sic *in l. 20. §. 6. fin. de hered. petit.* Adrianus Imperat. dicitur *Maximus Princeps.* & alibi ſæpius, ut *l. Juriſperitos ff. de excuſat: tutt. l. 8. ff. de vacat. l. 39. ff. de pænis. l. 17. ff. de quæſtionib.* Tandem κατ' ἐξοχὴν PRINCIPES MAGNI vocabantur. *Julian. in Mioſop.* κέκτημαι οὐδὲν, καὶ ταῦτα βασιλεὺς ἀκούων μέγας. *Apulejus lib. 10. Mileſ. p. m. 219. Literas ad MAGNUM ſcriptas PRINCIPEM Romam perlaturum. Idem lib. eod. p. 251. De literis fauſta vota præfatus PRINCIPI MAGNO, Senatuique & Equitibus, totique Populo Romano.*

Sed neque nomine ſolo populi auræ velificabantur, quin potius ſolliciti non minus erant, ne, ſummam poteſtatem palam ad nutum ac arbitrium ſuum redigendo, ad funeſta ſibi patriæque conſilia eum compellerent. Idcirco exſtinctæ jam libertatis veluti reliquias conſervando, omnia ita ordinabant, ut Reipubl. facies non tam mutaſſe, quam ad priſtinæ formæ ſimilitudinem iterum acceſſiſſe, imprudenti populo perſuaderetur. Ejusmodi

σκέμματα πολιτικά, & libertatis ſimulacra, prolixe perſequitur *Excellentiſſ. D. Præſes, Mæcenas noſter omni cultu venerandus, in Comm. ad Tacit. annal. lib. 1. cap. 2.* Præcipua eo ſpectabant, ut adfectatæ Tyrannidis, aut everſæ ſaltem libertatis, invidiam amolirentur. Ne igitur ab unius arbitrio Reſpubl. pendere videretur, majoris momenti pleraque, civitatis ſtatum ſpectantia, cum Senatu communicabant, facta illi liberrime ſententias ferendi copia, ut ita ſecundum veterem morem SC. conderentur, Principe nihil aliud agente, quam, vel ut rem in Senatu referret, vel ſuam pariter cum cæteris ſententiam exprомeret. Hanc in rem celebrantur ORATIONES PRINCIPUM, ab ipſis in Senatu habitæ, quæ nunc exercitii hujuſce noſtri argumentum erunt, dum quæ e media antiquitate & hiſtoria Romana eo pertinere viſa fuerunt, quantum per ingenii mediocritatem ac temporis rationem licuit, congerere, ac uno velut florum corpuſculo connectere, animus eſt. Et cum ab hiſce non adeo abludant antiqua Germanicorum Comitiorum inſtituta, non incongruum arbitratus ſum, de iis etiam paucula quædam adſpergere: Id quod felix fauſtumque eſſe jubeat ſummum Numen.

Digitized by Google

Quod igitur ORATIONES Principum Romanorum attinet, diverſa earum reperiuntur genera. Siquidem cum Principatum ſuſcipiebant, moris erat, ut Senatum inaugurali velut oratione compellarent, qua de collato ſibi honore gratias agebant, ſeque Imperium ad Patrum Populique ſententiam adminiſtraturos ſpondebant. Cujusmodi illa fuit Caligulæ Oratio, quam quotannis legi, SC. cautum fuit: *Dio lib. 59. p. 641.* De Severo ſcribit *Herodian. lib. 2. cap. 14.* cum imperium ſuſcepiſſet, Curiam intraſſe, ibique Orationes recitaſſe, ἐπιεικεῖς πάνυ καὶ χρηστῶν ἐλπίδων μεστὰς. Ineptiſſimam de ſe ſuisque laudibus Juliani Orationem *vid. apud Dion. lib. 73. p. 843.* Cui non abſimilis multum Commodi illa, apud *Xiphilin. in Commod.* nec non ejusdem notæ credo fuiſſe aliam Vitellii, de qua *Tacit. hiſt. lib. 2. cap. 90. Magnificam Orationem habuit de ſemetipſo, induſtriam temperantiamque ſuam laudibus attollens.* Erant quædam objurgatoriæ, quando Senatum increpabant: Qualis eſt Severi apud *Herodian. lib. 3. cap. 8. Tacit. ann. 16. cap. 27.* Aliæ, quibus ſe excuſabant Senatui de facinore perpetrato, ut Antonini apud eund. *Herodot. lib. 4. cap. 5.* Laudati aliquando oratione Principes, qui ſe ipſos Senatu propter

rem domi anguſtam moverant: *Tacit. annal. 12. cap. 52.* De faſtigio & eminentia Imperii Romani Orationem aliquando Claudium habuiſſe, ſcribit *Tacit. annal. 12. cap. 11.* Et ſunt earum exempla præterea non minori numero obvia, etiam in Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, quæ huc cumulare, ſi diſquiſitionis modus pateretur, in proclivi foret. Cæterum quæ præcipui ponderis Orationes erant, Rempublicam, ac civitatis ſtatum, ſpectabant potiſſimum, nihilque aliud continebant, quam varia rationum momenta, quibus Princeps Senatum ad hoc vel illud publici boni cauſa inſtituendum vel abolendum, perſuadere nitebatur, ut ita ſecuto Patrum conſenſu Principis voluntas Senatusconſulto confirmaretur, Egregie hanc in rem ſcribit *Scipio Gentil. in orat. 3. de L. Reg. p. m. 52. Hoc ego primum juris condendi ſimulacrum ac genus uſurpaſſe Impp. video, quod valde mihi populare videtur, & ex veteris Reip. imagine relatum: quaſi enim rogatio quædam erat hoc Orationum inſtitutum.*

Hæc autem conſuetudo in univerſum inde principio manaſſe videtur, cum primis Monarchiæ initiis, inter cætera libertatis ſimulacra, Principes etiam antiquarum dignitatum ac officiorum honorem tueri, inter

præ-

Digitized by Google

præcipua haberent, ipſimet quoque ea in ſe recipiebant, Conſules ſe renunciari patiebantur, Tribunitia poteſtate præditos, ut hac ratione citra invidiam, aut affectati dominatus ſuſpicionem, ea tamen ſuſcipere poſſent, quæ firmandæ paullatim, quam moliebantur, potentiæ conducere videbantur. Detegit nobis arcanum hoc *Dio lib. 53. pag. 507. Ne videantur*, inquit, *Impp. ex potentia potius, quam Legibus habere omnia, quæ in populari Reipubl. forma multum valuerant, Senatu populoque volentibus, ea cum ipſis nominibus in ſe recipiunt: Conſules enim fiunt ſæpe numero, &c. ac ita hoc nomine omnia, quæ Conſulibus, aliisque cum pleno imperio Magiſtratibus, facere licet, agendi jus habent.* Paucis interjectis: *At tribunitia poteſtas, quam clariſſimus quisque Imp. olim habuit, effecit, ut intercedere iis, quæ ab aliis contra ipſorum ſententiam moventur, poſſint, ac ſacroſancti ſint.* De hoc Tribunitiæ poteſtatis jure ita *Tacit. ann. 3. cap. 56. n. 1. Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen aſſumeret, ac tamen appellatione aliqua cætera imperia præmineret.*

Atque ex hoc jure fluxit, ut Senatum, quo tempore vellent, convocare poſſent.

Digitized by Google

Hoc enim in libera Republica præter alios Magiſtratus etiam Tribuno plebis conceſſum fuiſſe, conſtat ex *Valer. Max. lib. 2. cap. 1. A. Gell. N. A. lib. 14. cap. 7.* Cum vero Tribunatus hic perpetuus ipſis eſſet, ut perpetuo quoque hoc jure gauderent, tam ſub illius dignitatis auctoritate, quam alterius, quæ certo tempore terminabatur, Senatum convocare maluiſſe, ſit veriſimile. Ita enim de Tiberio *Suet. in vit. 22. Jure autem Tribunitiæ poteſtatis coacto Senatu, inchoataque allocutione, repente velut impar dolori congemuit.* Deque eodem etiam *Tacit. ann. 1. cap. 7. n. 3. Ne edictum quidem, quo Patres in Curiam vocabat, niſi Tribunitiæ poteſtatis præſcriptione, poſuit, ſub Auguſto acceptæ.*

Jure autem Conſulatus, quo tempore hoc munere fungebantur, in Senatu referre poterant; quæ tamen facultas poſtea quoque ipſis propria ac perpetua facta fuit, ut jus referendi in Senatu integrum ipſis eſſet, quamvis non Conſulibus. Idque jam tum Auguſto tributum fuiſſe, teſtatur *Dio lib. 54. p. 518. Eapropter Senatus Auguſto hos decrevit honores, ut Tribun. pl. perpetuus eſſet, & quoties Senatus haberetur, etiamſi Conſulatum non gereret, de una re, qua vellet, referre poſſet.* Quem locum male intellexiſſe, qui ita

verterunt, *de quibuscunque rebus vellet*, notat *Caſaub. in Suet. Cæſ. cap. 20.*

Apparet autem, hanc primam ferme conſuetudinis hujus fuiſſe originem; Siquidem quoties in Senatu referebant, non his ſolum verbis id factum, ut in libera Rep. conſuetum erat: *Referimus ad vos P. C. ſuper ea re, quid fieri placet; Briſſon. form. Rom. lib. 2. p. 164.* Sed ipſi rationes ſimul expromebant, quibus Senatum permoveri poſſe rebantur. Colligere id licet ex *Dione lib. 57. p. 603.* ubi de Tiberio, *Suo*, inquit, *arbitrio perpauca agebat, de rebus etiam minutiſſimis ad Senatum referebat, poſito in foro tribunali, in quo ſedens jus diceret.* paucis interpoſitis: *Propoſita ſua in medium ſententia omnibus contradicere, liberum relinquebat.* Facit & in rem hanc *Tacit. lib. 4. annal. cap. 36. n. 8. Sub idem tempus de flamine Diali in locum Servii Maluginenſis defuncti legendo, ſimul roganda nova lege, diſſeruit Cæſar.* Ipſam deinde Orationem ſubjungit, eadem de Lege habitam. Similis locus eſt & *annal. lib. 22. n. 4. Retulit deinde ad Senatum ſuper Collegio aruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret, &c.* ubi ipſa porro habitæ orationis verba ſubjungit auctor. Imp. *Julianus de ſe ipſo ep. 29.* Διε-

λέχθην δὲ ὀλίγα τῇ βουλῇ περὶ θεοσεβείας, οἱ δὲ τοῖς λόγοις ἐπῄνουν μὲν ἅπαντες, ἐπείσθησαν δὲ αὐτοῖς ὀλίγοι πάνυ. i.e. Cum Senatu pauca de religione diſſerui, & laudarunt quidem omnes orationem meam, pauci vero conſenſere.

Cæterum in libera Republica *auctores ſententiæ* dicebantur illi, qui de re aliqua conſilium ſuum, rationum argumentis ſubnixum, in medium adferebant, atque ita Senatum in ſuas partes inclinabant; Quemadmodum *Cicero in Piſon. cap. 15. De me Senatus ita decrevit, auctore & ejus ſententiæ principe Pompejo. Idem pro Balbo cap. 16. Harum ego ſententiarum princeps & auctor fui.* Pari ratione tum quoque Senatus, cum decreta ſua populo proponebat, *auctor fieri* dicebatur, & decreta *auctoritates.* Prolixe eam antiquitatem annotavit *Dio Caſſ. lib. 55. pag. 549. D.* ubi inter alia hæc: *Dicta etiam fuit auctoritas cum Trib. pl. intercesſiſſent, nam hic quoque cum SC. fieri nequiret, tamen ſententiam ſuam Senatus nolebat occultam eſſe, quæ dein more Romano rata fieret, ac SC. nomen acciperet, idque ab antiquis multo tempore obſervatum, noſtra fere ætate exolevit.* Pertinet huc locus *Cic. ad fam. lib. 1. epiſt. 7. Quoniam SC. nullum extat, quo reductio Re-*

gis Alexandrini tibi adempta ſit, eaque, quæ de ea ſcripta eſt Auctoritas, cui ſcis interceſſum eſſe, ut ne quis omnino Regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum, quam conſtantis Senatus, conſilium fuiſſe videatur. Nimirum ita ſolent Romani ſcriptores, cum accurate loquuntur, Senatus auctoritatem a SC. diſcernere, quam diverſitatem negligentius prætervectus *Briſſonius*, quo nomine vapulat *Janu Langlæo, Semeſtr. lib. 7. cap. 12.* Alia erat, quæ dicebatur Senatus auctoritas, quando populi placita, ut auctoritatem obtinerent, confirmanda eſſent ejus ordinis auctoritate, qui & nobilitate & prudentia in Republ. emineret, conſiliique publici dominus eſſet conſtitutus. Perelegantia eam in rem ſunt loca bina *Saluſtii Orat. 2. de rep. ordin. & Ciceron. lib. 3. de LL. 12.* quæ obſervavit *Excellentiſ. D. Præſes comm. in Tac. ann. 1. in not. polit. add. Guilielm. Bellendin. de ſtatu lib. 3.* qui inſcribitur: *Ciceronis Conſul, Senator, Senatusque Romanus cap. 23.* Græci utramque ſignificationem pariter eodem vocabulo exprimunt: Auctoritatem enim hanc vocant illi προβούλευμα. Quod priorem ſignificationem attinet, plana ea eſt ex *Suida*: προβούλευμα, inquit, τὸ ὑπὸ τῆς βουλῆς ψηφισθὲν πρὶν εἰς τὸν δῆμον

εἰσφέρειν. De altero conſtat ex *Plutarch. in Coriolan. pag. 227. lit. D. ὁ δῆμος ἀνοῖξαι ... τὴν ψῆφον καὶ νόμον τι ποιεῖν ἄνευ προβουλεύματος* ...

Cœpit hoc poſtea Impp. tribui, ut, quoties de re quapiam Orationes in Senatu haberent, *auctores fieri* dicerentur. *Tacit. ann. 3. cap. 37. Conſidius Æquus, & Cælius Curſor, Equites Romani, quod fictis Majeſtatis criminibus Magium prætorem petiviſſent, auctore principe, ac decreto Senatus puniti. add. annal. 15. cap. 22. lib. 3. Hiſt. cap. 8. in Veſpaſian. cap. 11.* ſic & *Vlpianus in fragment. tit. 25. §. 28. Civitatibus omnibus, quæ ſub Imperio P. R. ſunt, legari poteſt; idque a D. Nerva introductum, poſtea a Senatu auctore Adriano diligentius conſtitutum eſt. Id. in l. 32. pr. ff. de donat. inter vir. & ux. Imperator noſter Antoninus Auguſtus, ante exceſſum D. Severi patris ſui, Oratione in Senatu habita auctor fuit Senatui cenſendi, ut aliquid laxaret ex juris rigore.* SC. *auctore Trajano* facti meminit *l. 5. Cod. de magiſtratib. conven.* Et aliud *auctore Adriano* factum memoratur *in l. 1. C. de petit. hered.* ſic *in l. 9. Cod. de excuſat. tutt. Ampliſſimus ordo auctore Marco cenſuit.* Adde *Plin. lib. 2. ep. 7. Fieri a ſenatu Veſtri-*

 cio-

cio Spurinna principe auctore triumphalis ſtatua decreta. Erat enim olim hoc jus: ſtatuas decernendi, unum ex iis, quæ Majeſtatis vocamus, & in libera Republ. non niſi SC. vel plebiſcito fieri poterat, ut conſtat ex *Plin. Nat. Hiſt. lib. 34. cap. 5. & 6.* Poſtea id auctoritate Principum fieri cœpit. *Vid. Sueton. in Calig. c. 34. Tacit. annal. 3. cap. 10.*

Atque ita ut diximus, quando quidem, SC. aut conſtitutionis alicujus auctor eſſe volebat Princeps, eam in rem Orationem coram Senatu habere ſolebat. Conſignavit nobis ejusmodi quasdam *Tacit. annal. 3. cap. 12. & 47. lib. 4. c. 37. 38.* Orationis Severi de rebus eorum, qui ſub tutela ſunt, non alienandis, mentio eſt *in l. 1. ff. de reb. eor. & l. 7. C. de præd. minor.* Hanc ſingulari libro expoſuit Paulus, ut ex Florentino Indice, & aliquot LL. inſcriptionibus, conſtat. Orationis Severi & Commodi meminit inſcriptio *l. 20. de R. V.* cujus emendationem pete *ex Ampliſſ. D. Strauch. Patrono ac Præceptore quondam noſtro omni cultu devenerando, diſp. de ſtatut. a ſumm. Principe, num. 12.* Nobilis eſt & D. Pii Oratio de Profeſſoribus *in l. 4. C. de Profeſſorib. & Medic.* Oratio Antonini fuit, ne quis meſſium vindemiarumque tempore cogat ad judicium adverſa-

rium

rium venire *l. 1. ff. de feriis.* Alia ejusdem memoratur ab *Vlpian. fragm. tit. 27. num. 6.* Oratione *Pertinacis cautum eſt, ne tabulæ* priores *jure factæ irritæ fiant, niſi ſequentes jure ordinatæ perfectæque fuerint. §. 7. Inſt. quib. mod. teſt. infirm.* De qua Oratione ſcribit *Capitolin. in Pertinac. Legem tulit, ut teſtamenta priora non prius eſſent irrita, quam alia perfecta eſſent, neve ob hoc fiſcus ſuccederet, addiditque SC. hæc verba; ſatius eſt, P. C. inopem Remp. obtinere, quam ad divitiarum cumulum per diſcrimina & dedecoris veſtigia pervenire.* Imprimis multæ exſtant D. Marci Orationes, qui legum curam multo maximam habuiſſe videtur: vide earum veſtigia *in l. 60. ff. de ritu nupt. l. 16. eod. l. 16. ff. de ſponſalib. l. pen. ad SC. Tertull. l. 8. de transact. l. 7. de feriis. l. 1. §. 1. ne de ſtatu defunctor. Capitolin. in Marco.*

Obſervandum porro, quod iccirco Principes Romani inter prima ſtudia ſua Eloquentiam cenſuerint, eamque, ut non in leve gloriæ decorisq; ſui argumentum valituram, maximi ſemper fecerint. Hinc eleganter *Symmach. lib. 10. epiſt. 21. Nos humi reptamus, ſocco magis idonei, quam cothurno, poſtquam facundiares eſſe cœpit Imperii, Muſis in palatio loca lautiora data.* Inde fit, ut plerum-

Digitized by Google

que etiam inter laudes Imperatorum a ſcriptoribus ponatur Eloquentia: *Sueton. de Auguſto in vit. cap. 84. Neque in Senatu, neque apud milites, nec apud populum, locutus eſt unquam, niſi meditata & compoſita Oratione, quamvis non ad ſubita deficeret extemporali facultate.* Tiberium idcirco Corvino Meſſalæ operam dediſſe, ait *id. in Tib. cap. 68.* Et de Cajo Calig. *in vit. cap. 53. Diſciplinis liberalibus minimum, eruditioni ut & eloquentiæ plurimum attendit, quantumvis facundus & promptus.* De Claudio *id. in vit. c. 40. Principe nec infacundo nec indocto.* Domitianum vocat *Principem ut in omnibus, ita & in Eloquentia eminentiſſimum* Quintilian. *Inſt. Orat. lib. 4. in procem.* Symmach. *lib. 1. epiſt. 89. ad Antoninum: Non incognito nobis eloquii ſplendore nituiſti, ſed magnis rebus accommodata, & majeſtate ſcripti aptata, gloriam, quam ante quæſiviſti, recens auxit Oratio. Nam præter loquendi phaleras, quibus Te natura ditavit, ſimile quiddam, planeque conveniens auribus Patrum, gravitate ſenſuum, verborum proprietate ſonuiſti.* Auſonius *in grat. act. ad Gratianum: Aliqua de Oratoriis virtutibus tuis dicerem, niſi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpicius acrior in concionibus, nec majoris Gracchi*

com-

commendabilior fuit modeſtia, nec patris gravior auctoritas, &c. ubi prolixe Gratiani extollit eloquentiam. De Numeriano quoque ſcribit Vopiſc. *in vit. Hujus Oratio fertur ad Senatum miſſa tantum habuiſſe eloquentiæ, ut illi ſtatua non quaſi Cæſari, ſed quaſi Rhetori, decerneretur, ponenda in Bibliotheca Vlpia, cui ſubſcriptum eſt: Numeriano Cæſari, Oratori temporibus ſuis potentiſſimo.* Incerti panegyr. *ad Conſtant. Auguſt. Dicerem plura de Divinis Orationibus tuis, ac oblata potius quam impetrata benignitate, niſi mallem dicta reticere, dum facta propero laudare: Quamlibet verba tua in Senatu habita nobis nota ſint, tamen qualia fuerint, clementiæ Tuæ gloria nunciavit.* Pateretur hic locus, ut in illud dicendi genus, quod ejusmodi faſtigio conveniens, ὡς ἐν παρόδῳ digrederemur; *Eſt enim*, ut ait *Quintilian. Inſt. Orat. lib. 11. cap. 1. in Eloquentia, quod principem decet, quod aliis non conceſſeris.* Sed huic operæ ſuperſedere ſatius exiſtimo, dum, quæ ea de re adferri poſſint, exquiſitiſſimo ſane judicio ſuo pridem examinavit *Excellentiſſimus Dominus Præſes, in tractat. de Eloquentia Princip. Romanor. add. comm. ad Tacit. ann. 1. cap. 7. n. 5.* Non audiendus *P. Diaconus*, qui *lib. 2.* ſolum poſt Julium Cæſa-

rem in Senatu Orationes recitaſſe ſcribit Julianum: Primus enim ex Impp. Nero aliorum opera in conſcribendis Orationibus uſus, id quod vitio ipſi datum fuit. Notat *Tacit. annal. 13. cap. 3. Annotabant ſeniores, primum ex iis, qui rerum potiti eſſent, Neronem alienæ facundiæ eguiſſe. Nam Dictator* Cæſar, *ſummis Oratoribus æmulus, Auguſto prompta ac profluens, quæ principem decet, Eloquentia fuit: Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus ſenſibus aut conſulto ambiguus: Etiam C. Cæſaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata diſſereret, Eloquentiam requireres.* Hoc autem operæ Nero Senecæ ut plurimum injunxit: *Tacit. annàl. cap. 11. Nero clementiam ſuam Senatui crebris Orationibus obſtringens, quas Seneca teſtificando, quam honeſta præciperet, vel jactandi ingenii voce Principis vulgabat.* Ita & Orationem illam, qua ſe excuſavit Senatui de cæde in matrem patrata, a Seneca confectam, colligas ex *eod. annal. 14. cap. 11.* Et meminit quoque Orationis illius *Quintilian. Inſt. O. lib. 8. cap. 5. Qualis eſt Senecæ in eo ſcripto, quod Nero ad ſenatum miſit occiſa matre, cum ſe periclitatum videri vellet, ſalvum me eſſe adhuc, nec credo nec gaudeo.* De

Traja-

Trajano ſcribit *Julian. in Cæſarib.* ὁ δὲ καίπερ δυνάμενος λέγειν, ὑπὸ ῥαθυμίας ἐπιτρέπειν γὰρ εἰώθει τὰ πολλὰ τῷ Σούρᾳ γράφειν ὑπὲρ αὐτοῦ, i. e. *quamvis dicendo valuerit, ſolebat tamen propter ignavim in mandatis dare Suræ, ut quam plurima ſuo nomine Oratione ornaret.* De Domitiano teſtis *Sueton. in vit. cap. 20. præter commentarios & acta Tiberii nihil lectitavit, epiſtolas, Orationes & Edicta alieno formabat ingenio.* Vitellium Trachali cujusdam opera uſum, auctor eſt *Tacit. hiſtor. lib. 1. cap. 90.* De Maximino indicat *Herodian. lib. 7. c. 8.* ὁ μέντοι Μαξιμῖνος συγκαλέσας πάντα τὸν στρατὸν εἰς τὸ πρὸ τῆς πόλεως πεδίον προσελθὼν τῆς τρίτης ἡμέρας ἀνελθών τε ἐπὶ τὸ βῆμα ἐπιφερόμενος τὸ βιβλίον, ὅπερ αὐτῷ ἦσαν συντάξαντες τινὲς τῶν φίλων ἐξ ἀναγνώσεως ἔλεξε τοιάδε. i. e. *Tertio die convocatis in campum militibus ſuis Maximius tribunal conſcendit, atque ex libello Orationem ab amicis compoſitam, in hanc ſententiam recitavit.* Apparet autem ex hiſce, id muneris tum quidem nondum certo cuidam ex Auguſtæ domus miniſtris demandatum, ſed eo plerumque functos eſſe, qui principem locum in amicitia Impp. tenuere. De Adriano ſcribit *Æl. Spartian. in vit. Trajani cum eo familiaritas crevit, cauſa præcipue Orationum, quas pro Imperatore dictaverat.*

Vti vero nonnunquam ipſi Principes coram Senatu orationes ſuas recitare amabant; Ita ſæpius evenit etiam, ut per abſentiam, aut alio impedimento diſtracti, hoc officium alteri injungerent. De Auguſto *Sueton. in vit. c. 84. Neque in Senatu, neque ad milites, neque ad populum locutus eſt unquam, niſi meditata & compoſita Oratione: Ac ne periculum memoriæ adiret, aut diſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitare omnia.* De Tiberio teſtis *idem in vit. cap. 23.* & de Cluudio ſimiliter *in vit cap. 23. & 42.* Ipſis vero Principibus impeditis, Quæſtori incumbebat, eas coram Senatu recitare. De Auguſto ſcribit *Dio lib. 54.* Συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον αὐτὸς οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ τοῦ βράγχου, τὸ δὲ δὴ βιβλίον τῷ ταμίᾳ ἀναγνῶναι τά τε πεπραγμένα οἱ καθαριθμήσαντο, i. e. *Convocato Senatu ipſe gravedine laborans, nihil locutus, Quæſtori libellum dedit recitandum: Eo recenſebantur res ab ipſo geſtæ.* Indicat hoc Quæſtoris munus etiam *Sueton. in Tit. cap. 6. Filius ejus recepta ad ſe omnium officiorum cura, cum patris nomine epiſtolas ipſe dictaret, & Edicta conſcriberet, Orationesque ſæpiſſime etiam in Senatu Quæſtoris vice recitaret. Suidas in* Κλαύδιος. οὐ πάντα ὅσα εἰς τὸ συνέφε-

ρεν αὐτὸς ἀνεγίνωσκεν, ἀλλὰ τῷ ταμίᾳ ὥσγε πλήθει ἀναλέγεσθαι ἐδίδου. ὅσα δ᾽ αὐτὸς ἀνεγίνωσκε καθήμενος ὡς τὸ πολὺ ἐπελέγετο. i. e. *Non omnia, quæ in Senatu referebat, ipſe legit, ſed legenda ut plurimum tradebat Quæſtori, quæ vero ipſe legebat, plerumque ſedens recitare ſolitus. Symmach. lib. 10. epiſt. 2.* de ſeipſo ad Gratianum: *Scio amore factum, quo Summates Viros plerumque dignamini, ut ſacræ Orationi veſtræ Lector adhiberer: Sed cum intelligo, ſermonem illum præminere omnimnodo ſcriptis, quæcunque ad hoc locorum ſenatus audivit, me quoque arbitror pluris habitum quam cæteros.* Pertinet huc locus *Sidon. Apollin. in Paneg. major. verſ. 62.*

- - - Cujus dignatur ab ore
Cæſar in orbe loqui, licet & Quæſtore diſerto
Polleat. - - -

Paullatim vero non legendis ſolum, ſed & conficiendis Orationibus, adhibitos fuiſſe Quæſtores arbitror: Siquidem in illis præcipue Eloquentia commendabatur. Eleganter *Caſſiodor. lib. 5. variar. 4. Ingenio principis ſervit, quod univerſa ſuperat, illius ore loqui cogitur, cui nullus invenietur ſimilis.* Et *lib. 6. epiſt. 5. O quam arduum*

eſt

eſt ſubjectum, verba dominantis aſſumere, loqui poſſe, quod noſtrum credatur? ſi quid dubitamus, a Quæſtore requirimus; qui eſt theſaurus famæ publicæ, armarium legum, paratus ſemper ad ſubita; & ut ait Tullius, *Magiſter eloquentiæ. Nam ſi Oratoris proprium eſt, graviter & ornate dicere, ut poſſit animos judicum commovere, quanto facundior debet eſſe, qui ore principis populos noſcitur admonere? Talem denique oportet eſſe Quæſtorem, qualem portare principis decet imaginem: Nam ſi nos, ut adſolet, cauſam audire contingat, quæ auctoritas erit linguæ, quæ ſub oculis regalem genium implere poſſit?*

Cæterum qui ad hanc admoti erant dignitatem, Candidati Cæſaris ſeu Principis dicebantur: Sic *Vellej. lib. 2. cap. 23. Quo tempore*, inquit, *mihi, fratrique meo, Canditatis Cæſaris proxime a nobiliſſimis ac Sacerdotibus viris deſtinari prætoribus contigit. Lamprid. in Alex. Quæſtores Candidatos ex ſua pecunia juſſit munera populo dare.* Conſule de eorum munere *Guther. de offic. dom. l. 2. cap. 18. Panciroll. in notit. Imp. orient. c. 72.* Dicebantur autem Principum Candidati, quod ex eorum commendatione abſque ambitu & repulſa eſſent

deſignandi: Inde jocus ille *apud Quintilian. Inſt. Orat. 6. cap. 3.* ubi negligenter pilam petenti, dixit alter, *ſic petis tanquam Cæſaris Candidatus.*

Recitatis porro in Senatu Orationibus, ordine rogabantur ſententiam Patres, atque ita rite peractis omnibus SC. fiebat. Manaſſe id videtur ex conſilio præcipue Mæcenatis; qui in præclara Oratione illa apud *Dion. lib. 52. p. 485. Per ſenatum*, inquit, *fac omnia, quæ decernuntur, nec omnino quicquam æque ad omnes pertineat, quam SC. ſic enim & majeſtas Imperii magis confirmabitur.* Nimirum, ut conſtitutionibus ſuis eo majorem adderent auctoritatem, nec ſibi omne Legum arbitrium vindicare viderentur, prudenter eos Senatus auctoritate munire volebant. Illuſtrat rem *Tacit. annal. 12. c. 14. Eodem anno ſæpius audita vox principis, parem vim rerum habendam a procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet, & ne fortuito prolapſus videretur, SC. quoque cautum, plenius quam antea, & uberius.* Idcirco & alia Principum Edicta nonnunquam SC. confirmabantur, ut illud Auguſti, ne fœminæ pro viris intercederent *l. 2. ff. ad SC. Vellejan.*

Non ante igitur vim Legum obtinebant

Ora-

Orationes Principum, quam SC. confirmatæ eſſent. Exemplorum hanc in rem affatim nobis ſuppeditat hiſtoria Romana: Innuit *Tacit. ann. 1. c. 6. Multa ſine dubio ſævaque Auguſtus de moribus Agrippæ conqueſtus, ut exilium ejus SC. confirmaretur, ſanxit.* De Claudio *id. lib. 11. c. 18. Retulit deinde ad ſenatum ſuper Collegio Aruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret: & factum ex eo SC. viderent pontifices; quæ retinenda firmandaque aruſpicum.* Sed illuſtre eſt hujus antiquitatis exemplum *apud eund. lib. 11. annal. c. 22. Cum de Gallia comata primoribus, num in urbe ad honores admittendi eſſent, multus eſſet variusque rumor, & ſtudiis diverſis apud principem certaretur, aſſeverantium, non adeo ægram Italiam, ut ſuppeditare urbi ſuæ nequiret, ſuffeciſſe olim indigenas conſanguineis populis &c. His atque talibus haud permotus princeps, etiam ſtatim contra diſſeruit, & vocato ſenatu ita exorſus eſt: Majores mei, &c. Orationem Principis ſecuto patrum conſulto primi Ædui in urbe ſenatorum jus adepti ſunt. add. Suet. Tib. c. 48.* Atque inde ſolent Juris Civilis interpretes diſſidium hoc componere, quando, quod hoc loco SC. tribuitur,

 alibi

alibi Orationibus Principum adſcribitur. Vid. ejusmodi exempla apud *Briſſon. lib. 1. ſelect. antiqu. c. 16. Gothofred. in l. 7. C. de præd. minor.*

Præterea, quoniam ſæpius Roma abeſſent Principes, ut ipſi, quæ ex re publica credebant, præſentes Senatui exponere non poſſent, per literas eum de ſua ſententia reddebant certiorem: Quod genus literarum nonnunquam epiſtolæ, nonnunquam orationum nomine venit. *Juven. Sat.* 10. *verſ.* 71.

- - - *Verboſa & grandis epiſtola venit*
A Capreis. - - -

Indicat epiſtolam Tiberii, qua ſe excuſat Senatui ob repudiatos honores, quos ipſi detuliſſent. Eandem & *Xiphilin. in Tib.* vocat Epiſtolam. *Sueton.* autem *in Tib. c. 66.* orationem. Sic eſt apud *Tacit. annal. 16. c. 7.* Oratio miſſa ad Senatum, & *ap. eund. annal. 3. cap. 53.* Tiberius de lege quadam Senatum per epiſtolam conſulit. Sic & in *l. 2. C. Theod. de Curator. Calendar.* eſt: Oratio miſſa ad Senatum. Antonini talis exſtat oratio apud *Vulcat. Gallican. in Avid. Caſſ.* Hæ vero Epiſtolæ hoc nomine quoque naturam ac ſimilitudinem Orationum referebant, quod pariter SC. confirmandæ eſſent,

eſſent. *Vopiſcus in Aurelian. Sabinus Prætor urbanus dixit: Referimus ad Vos P. C. ſuggeſtionem, & Aurelii Principis literas, quibus jubetur, &c. Interrogati plerique Senatores, ſententias dixerunt, quas longum eſt innectere: Deinde aliis manum porrigentibus, aliis pedibus in ſententiam euntibus, aliis verbo conſentientibus, factum eſt SC.* Geminum huic alterum eſt exemplum apud *eund. in Probo.* vid. verba in contextu: *Ælius Scorpianus Coſ. dixit: Audiſtis literas P. C. Aurelii Probi, de his quid videtur? Tunc acclamatum eſt, probe Auguſte, Dii Te ſervent, &c. Poſthac Manlius Macianus, qui prima tunc erat ſententiæ Senator, ita locutus, &c. Poſthæc acclamatum eſt, Omnes, Omnes.* Addo tertium ex *Capitolin. in vit. Maximin. SC. hoc fuit exemplum; Cum ventum eſſet in ædem Caſtorum, acceptas literas Junius Syllanus Coſ. ex Africa Gordiani Imp. Patris Patriæ, recitavit; Lectis literis Senatus acclamavit: Gordiane Auguſte, Dii Te ſervent! Item Coſ. retulit, P. C. de Maximino quid placet? Reſponſum eſt: hoſtes! hoſtes! hinc SC. perfectum eſt.*

Denique peractis omnibus, perfectoque SC. publice promulgabantur Orationes, &

in perpetuum decus Principum, æreis tabulis incidebantur. *Dio Caſſ. lib. 6. p. m. 668. Tunc etiam Kalendis Januar. cum recitarentur ex SC. Orationes quædam Auguſti atque Tiberii, ut ita ad veſperam usque Senatus detineretur, finem impoſuit, ſatis eſſe dicens, eas tabulis incidi. Plin. in Paneg. cap. 75. Sed quid ſingula conſector & colligo? Quaſi aut oratione complecti aut memoria conſequi poſſem, quæ Vos P. C. ne qua interciperet oblivio, in publica acta & incidenda in ære cenſuiſtis. Ante Orationes Principum tantum ejusmodi genera monumentorum mandari æternitati ſolebant, acclamationes quidem noſtræ parietibus curiæ continebantur.* Specialis honos Neroni habitus, cujus Oratio argenteæ columnæ inciſa fuit, teſte *Xiphilin. in Neron.* ejusmodi tabulæ exemplum, Lugduni adhuc in æde Lateranenſi conſpicuum, exhibent *Lipſius in lib. 11. ann. Tacit. p. 279. Guther. de offic. dom. Aug. lib. 1. cap. 30.* Conſuetudinis hujus originem a liberæ Reipubl. tempore arceſſendam eſſe, facile patet, quippe cum quævis SC. & quæ promulgabantur Leges, publice æreis tabulis inciſæ proponerentur: Vnde *Cicero Philipp. 1. cap. 26. Quid tum? quod tum ita geſtum erit, id Lex erit, &*

in æs

in æs incidi jubebitis? & *in Catilin. 3. cap. 19.* inter prodigia recenſet, quod *Legum æra liquefacta eſſent.* Vnde poſtea honori Principis hoc datum etiam, ut Conſtitutiones ejus æri inciderentur. *Plin. lib. 34. N. H. cap. 9. Vſus æris ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatus eſt, tabulis æneis in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur. Senec. lib. 3. de benef. cap. 4. Magis autem illa conſtitutio rata erit, quam ſi in æs incidiſſem.* Præmittebantur autem Orationes Principum ac poſtea SC. de hisce facta ſubjungebantur, quod non obſcure colligitur ex *Plin. lib. 8. epiſt. 6. Ea,* inquit, *quæ quarto Kalend. Febr. quæ proxime fuiſſent, in ampliſſimo ordine Optimus princeps recitaſſet, Senatusque Conſulta de his rebus facta in æs inciderentur, idque æs figeretur ad ſtatuam loricatam D. Julii. Parum viſum tantorum dedecorum curiam eſſe teſtem: delectus eſt celeberrimus locus, in quo legenda præſentibus, legenda futuris proderentur. Placuit, ære ſignari omnes honores faſtidioſiſſmi mancipii, quosque repudiaſſet, quosque, quantum ad decernentes pertinet, geſſiſſet. Inciſa & inſculpta ſunt publicis monumentis prætoria: ſic quaſi fœdera antiqua, ſic quaſi ſacræ leges.*

Atque ita hactenus expediviſſe nos reor ea, quæ ad hiſtoriam veterem de Orationibus Principum illuſtrandam pertinere viſa ſunt: Reliquum eſt, ut ad cenſuram Politicam vocemus, & illam ſpecioſis admodum coloribus adumbratam libertatis imaginem, quibus imprudenti populo fucum facere amabant Principes, paullo altius contemplemur. Enimvero, quod jam in limine diſſertationis attigimus, inter præcipua hoc Auguſtæ domus arcana fuit, everſa exſtinctaque libertate, inania libertatis ſimulacra oſtentare: Vnde *Dio lib. 45. pag. 277. Imago quadam libertatis proponebatur, dum omnia ex potentia agebantur.* Et *Tacit. in fin. lib. 1. annal. ſpecioſa verbis, re inania ac ſubdola, quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tanto impenſius ad ſervitium eruptura.* Inter ea vero ſimulacra non ultimum erat, quod Senatus munia ac auctoritatem, multis quantumvis partibus defloratam, ipſi Principes fovere ac conſervare videri ſaltem volebant, eo conſilio, ne priſtina Reipubl. ſpecies uno velut ictu inciſa diceretur, id quod grave nimis futurum eſſet populo, nondum exoleta in animis dulci libertatis memoria. Quem Conſilii finem innuit *Mæcenas ap. Dion. lib. 52. pag.*

546.

546. ubi de ejuſmodi ſimulacris ſermonem habet, eaque duplici ratione Auguſto commendat: τοῦ δὲ τῶν πατρίων μνήμης ἕνεκα, καὶ τοῦ μὴ παντελῶς τὴν πολιτείαν μεταλλάττειν δοκεῖν: *partim ad conſervandam inſtitutorum patriorum memoriam, partim, ne penitus resp. & ſtatus omnis immutari videretur.* Nimirum idcirco non temere, nec non communicato ante cum Senatu conſilio, ad Legum curam, aut arduas res ſuſcipiendas, prolabebantur, ſed ea prius in medium adferebant, facta ſingulis ſententiæ dicendæ copia: Cujus conſilii quoque auctorem Auguſto fuiſſe Mæcenatem, argumento eſt ipſius Oratio apud *Dion. lib. 52.* ubi hoc quoque inter alia Auguſto commendavit: Id quod ſequi etiam non detrectavit, teſte eodem *lib. 53. pag. 520. Non omnia,* inquit, *proprio arbitrio egit, multa publice deliberanda propoſuit, ut, ſi quid aliis diſpliceret, id corrigere poſſent, omnes vero adhortatus eſt ut ſuum ſibi conſilium aperirent, ſi quid rectius invenirent, libertatem omnem eis concedens, eorumque motus ſententiis quaedam quoque retractavit.* Par quoque ingenium in Tiberio laudat *idem lib. 57. pag. 603. propoſita ſua in medium ſententia non tantum omnibus contradicere liberum*

rum relinquebat, ſed ferebat quoque aliquando, contraria ſua ſententia decreta fieri &c. Quin imo eo res devenerat, ut Thraſeas diſerte in has voces prorumperet: *Egregio ſub principe nulla neceſſitate Senatum eſſe obſtrictum. Tacit. annal. 14. cap. 48.* ad quem ipſum Thraſeam & Helvidium Priſcum *Tacit. in Agric. cap. 2. vocem P. R. & Senatus libertatem* refert. De Nerone ſcribit idem *annal. 13. cap. 4. Nihil,* inquit, *in penatibus ſuis venale aut ambitioni pervium: diſcretam domum & Rempubl. teneret antiqua munia Senatus; Coſſ. tribunalibus Italiæ & Provinciæ publicæ adſiſterent,* &c. paullo poſt: *nec defuit fides, multaque arbitrio ſenatus conſtituta ſunt.* Quam plena callidæ adulationis vox illa Othonis, apud eund. *Hiſt. lib. 1. cap. 84. Æternitas rerum, & pax gentium, & mea tum veſtra ſalus, incolumitate ſenatus firmatur: Hunc auſpicato a parente & conditore urbis noſtræ inſtitutum, & a Regibus usque ad principes continuum & immortalem, ſicut a majoribus accepimus, ſic poſteris tradamus.* Cæterum ecquis diffiteatur, haſce & adfines orationes alias *plus dignitatis quam fidei habuiſſe*, ut notat *Tacit. annal. lib. 1. cap. 11.* æque ac illa adſcititia Principum mode-

ſtia,

ſtia, & oſtentatum libertatis ſtudium: Neque enim aliter cum Senatu egiſſe videntur, quam cum populo: Siquidem nec huic libertatis ſuæ anteſignani adempti erant, ſed manſit Tribunor. pleb. nomen ad Conſtantini usque tempora, ut obſervat *Onuphrius in comm. faſt. lib. 1. ad ann. 261.* dabaturque iis etiam intercedendi facultas. Oſtendit *Tacit. lib. 1. annal. cap. 77. Actum*, inquit, *de ea ſeditione apud patres, dicebanturque ſententiæ, ut prætoribus jus virgarum in hiſtrionibus eſſet: Interceſſit Haterius Agrippa Trib. pl. increpitusque eſt Aſinii Galli oratione, ſilente Tiberio, qui ea libertatis ſimulacra Senatui præbebat.* Illuſtrior locus eſt apud *Dion. lib. 57. p. m. 646.* ubi pœnas in Aſtrologos exercitas refert: *Niſi*, ait, *Trib. pl. interceſſiſſet, etiam contra quam cenſuerat Tiberius, omnes cives impunitatem fuiſſe habituros;* &c. Et quamvis *Tacit. hiſt. lib. 1. cap. 55. Senatus populique obliterata jam nomina* dicat, nihilominus tamen de Macrino refert *Herodian. lib. 5. cap. 1.* ἐποίησε δὲ καὶ δημόσια γράμματα πρὸς τὸν τῶν Ῥωμαίων δῆμον καὶ τὴν σύγκλητον.

Cæterum, ut ad Orationes Principum revertamur, hisce pariter nec fides nec ſinceritas inerat, dum Principes gnari erant quantum

nutui

nutui ipſorum intentus eſſet Senatus, ut tantum abeſſet, ut ipſorum Orationibus obloquerentur, ut potius neſcio quibus non verborum lenociniis ac divinis laudibus eas in cœlum extollerent: Hinc Piſonis illa vox emortuæ libertatis luculentiſſimum argumentum præferens: *Quo loco cenſebis Cæſar? ſi primus habebo, quod ſequar, ſi poſt omnes vereor, ne imprudens diſſentiam? Tacit. annal. 1. cap. 34.* Adumbrat adulationem eam *Idem lib. 3. annal. cap. 31. Cæterum*, inquit, *tempora illa adeo infecta fuere, ut non modo primores civitatis, quibus claritudo ſua obſequiis protegenda erat, ſed omnes Conſulares, & magna pars eorum, qui prætura functi, multique etiam pedanei Senatores, certatim exſurgerent, fœdaque & nimia cenſerent: memoriæ proditur, Tiberium, quoties curia ergrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitum, o homines ad ſervitium paratos! ſcilicet illum quoque, qui libertatem publicam nollet, tam projectæ ſervientium patientiæ tædebat.* Nec aliter deſcribit temporum illorum miſeriam *Plin. lib. 8. epiſt. 14. Iidem proſpeximus Curiam trepidam & elinguem, cum dicere, quod velles, periculoſum, quod nolles, etiam miſerum eſſet; Quid tunc diſci potuit?*

tuit? Quid didiciſſe juvit, cum Senatus aut ad otium ſummum, aut ad ſummum nefas vocaretur: & modo ludibrio, modo dolori retentus, nunquam ſeria, triſtia ſæpe, cenſeret? Quo pertinent ejusdem querela in *paneg. cap. 72. Quis ante loqui, quis hiſcere audebat? Præter miſeros illos, qui primi interrogabantur, cæteri quidem, defixi & attoniti, ipſam illam mutam & ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem quo cum dolore animi, quocum totius corporis horrore, perpetiebantur, unus ſolusque cenſebat, quod ſequerentur omnes, & omnes improbarent.*

Vnde facile conſtat, qualis fuerit Senatus auctoritas, quantum de Legum poteſtate, de Reipubl. cura participaverint: Nimirum omne id in manu Principum poſitum erat, qui, quoties tenaciores ſuæ potentiæ eſſent, parum indulſere Senatui, aliis paullo modeſtioribus hanc libertatis umbram Senatui facile largientibus. Ab ea modeſtia præcipue ſuum commendat Principem *Plin. in paneg. Illuxerat*, inquit, *primus conſulatus Tui dies, quo tu curiam ingreſſus, nunc omnes, nunc ſingulos adhortatus es, reſumere libertatem, capeſſere quaſi communis Imperii curas, invigilare publicis utilitatibus & inſurgere. Omnes ante Te eadem*

dem iſta dixerunt, nemini tamen ante te creditum eſt. Erant ſub oculis naufragia multorum, quos inſidioſa tranquillitate provectos improviſus turbo perculerat. Hæc omnia ita in ſpeciem adornata, populo quidem grata erant, ſed in ſe ſpectata nihil poteſtati Principis derogabant. Ipſe enim Princeps contentus erat, conſilii publici Dominum ſe eſſe, quemadmodum in libera Republ. Senatus erat: Nimirum ita, ut Senatus nihil auderet, cujus ipſe non eſſet auctor. Illuſtria hanc in rem ſunt loca *Tacit. annal. 13. cap, 8. Per idem tempus actum in ſenatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque, ut adverſus male meritos revocandæ libertatis jus Patronis daretur, nec deerant, qui cenſerent: At Coſſ. relationem incipere non auſi ignaro principe, perſcripſere tamen Senatus conſenſum: ille auctor conſtitutionis fieret. add. lib. 14. cap. 18. lib. 15. c. 26.* & conſule *Langæum ſemeſtr. lib. 7. cap. 13.* Hinc apparet, quomodo accipienda ſint Vlpiani verba in *l. 11. ff. de Legib. Non ambigitur, Senatum jus facere poſſe;* Hæc enim non ad hiſtoriam juris antiquam pertinere videntur, ut ſentit *Deſider. Herald. lib. 2. de auctorit. rer. judic. cap. 1.* & alii. Sed de ſua ætate locutum

VI-

Vlpianum non poteſt dubitari, ita tamen, ut quid in ſpeciem actum fuerit, nulla adhibita cenſura Politica referat: SC. enim ad Conſtantini usque tempora fuiſſe condita, teſtatur *Paganin. Gaudent. de Juſtin. ſec. morib. part. 2. cap. 14.* Sed illa ad arbitrium Principum compoſita erant.

Apparet præterea, quam inſignem errorem errent, qui externis hiſce ſchematibus decepti, exſtincta libera republ. non Monarchiam, ſed Principatum fuiſſe inductum, perſuadere conantur: Quo errore ſibi placet *Bodin. 1. de Rep. cap. 8.* iccirco notatus etiam *Excellentiſſ. Dom. Præſidi in Comment. ad Grot. lib. 1. cap. 3. n. 10.* Quantumvis enim talem mixturam in Nervæ imperio laudaverit *Tacit. in Agric. cap. 3.* quem ait, *res olim diſſociabiles miſcuiſſe, Principatum ac libertatem:* quo etiam fere tendit, quod de Trajano *Plin. in paneg. Scis, ut ſicut diverſa natura dominatio & Principatus, ita non aliis eſſe principem gratiorem, quam qui maxime Dominum graventur:* Attamen ecquis non videat, quam oratoria arte hi ipſi ſententiis ac laudationibus ſuis formam, habitum, vim & decus Principibus ſuis machinentur, ut judicat *Ampliſſ. Præſes d. l.* add. *eund. ad Tac. ann.*

aun. 1. cap. 9. not. Pol. n. 7. Ita conſiſtit Dionis ſententia, qui ſub initium *lib.* 52 de Romanis aſſerit: poſt prælium Actiacum ἀκριβῶς μοναρχεῖσθαι αὖθις ἤρξαντο.

Antequam autem hinc digredimur, & illud attendi meretur, quantumvis hoc Orationum inſtitutum longo ſatis tempore uſu receptum fuerit, eas tamen pedetentim a prima ac nativa ſua forma ita deſciviſſe, ut non niſi nomen ac ſpeciem qualemcunque veterum illarum tandem referrent: Primis enim temporibus, id quod jam declaravimus, nullatenus ratæ erant, nec vim legum obtinebant, niſi Senatus auctoritate ac conſulto confirmatæ eſſent: Iccirco & Principes Orationes ſuas ita in Senatu proponebant, ut non certum jus conſtituere viderenrur, ſed quod conſtituendum erat, Patribus deliberandum exhibere. Id quod apparet ex iis, quæ ſuperſunt, fragmentis; quale ἀποσπασμάτιον ex Oratione Adriani adfert *Vlpian. l. 21. ff. de heredit. petit. Diſpicite P. C. nunquid ſit æquius, poſſeſſorem non facere lucrum & pretium, quod ex re aliena perceperit.* Et *in l. 1. ff. de reb. eor. qui ſub tutel.* orationis Sæveri hæc verba referuntur: *Præterea P. C. interdicam tutoribus, ne prædia ruſtica ſuburbana diſtrahant,*

bant, niſi, ut id fiat, Parentes codicillis vel teſtamento caverunt.

Geminam plane ſpeciem exhibent illæ, quas ſupra ex Tacito & cæteris ſcriptoribus citavimus. Cæterum inſequenti tempore mutavit hæc rerum facies; Siquidem SC. non jam amplius ſequebantur Orationes Principum, nec iis confirmandis adhibebantur, ſed SC. oratione Principis erant confirmanda, quam, cognito Patrum decreto & conſilio, eam in rem ad Senatum mittebant. Oſtendit *Symmach. lib. 10. ep. 28. Supereſt, ut ea, quæ Serenitas Veſtra patribus deliberanda propoſuit, cognito SC. Lex Auguſta confirmet. Idem lib. 6. ep. 62. Super impetratis adhuc ſperatur Oratio.* Prolixe autem in hanc rem facit *l. 8. Cod. de Legib. & Conſtit. Princip.* ubi Impp. Theodoſ. & Valentinianus ſui ſæculi morem ſatis accurate deſcribunt. Et hi fere Impp. ultimi reperiuntur, quorum orationes ad Senatum miſſas conſtat. Sic eorum eſt *oratio miſſa ad Senatum. l. 2. de curat. Calendar. Cod. Theodoſ. & l. unic. C. Theod: de cretione vel bon. poſſ. hac Oratione ſancimus.* add. *l. unic. de Reſponſ. prud. L. 8. de legit. hæredit. L. ult. de revocand. donat. l. pen. & ultim.*

de maternor. bonor. l. unic. de bonor. quæ filiofam.

Vt tandum nunc ad Germanicorum quoque Comitiorum inſtituta deveniamus, quæ congregato Imperii Senatu ab Orationibus, quas Propoſitiones appellant, nomine Imperatoris recitandis, exordium ſumunt. Eas ipſas Propoſitiones cum Romanorum Principum Orationibus comparari poſſe, putavit *Goldaſt. in replic. pro Imper. cap. 11.* quem tamen, hoc nomine aliquot argumentis in contrarium adductis, confutat *Arumæ. de comit. cap. 7. n. 3. & ſeqq.*

Qua occaſione non incongruum erit, ſi illam in Imperio noſtro Comitiorum rationem, tam eam, quæ remotioribus ſeculis in uſu fuit, quam quæ nunc recepta eſt, paullo altius, ſuccincte tamen, perſcrutemur.

Ordiendum autem nobis erit a tempore demum Caroli M, cujus quippe auſpiciis in unum corpus coalita Germania, initia ejus vaſtæ Reipubl. cujus laciniæ etiamnum ſuperſunt, cœperunt. Is igitur, poſteaquam maximam partem Germaniæ, quæ nunc ita vocatur, Francorum imperio adjeciſſet, eadem pene forma rempublicam conſtituit, qua Francia regebatur: Siquidem præter Abbates & Epiſcopos, etiam Du-

Duces ac Comites ſingulis regionibus, in provinciæ formam redactis, præfecit, quorum ſcil. virtute ac viribus adjutus, feliciſſima ubique arma circumtulerat, totque ditiones acquiſiverat. Horum præcipua erant munera, Imperatorem concomitari, jura ſubditis dicere, &, velut in partem curarum ab Imp. aſſumptos decet, conſiliis operaque ſua eidem præſto eſſe. Vid. quos hanc in rem allegat *Nicol. Mylerus ab Ehrenbach in Archolog. Ordd. Imperial. cap. 6. num. 5.* Ita enim *Imp. Carolus Magnus* in Comitiis, Anno DCCLXXVII. Padabruni celebratis, antequam Coronam Romanam obtinuerat, milites ſeu nobiles Francos & Germanos ſuos alloquitur: *Ite, milites mei, vos Heroes vocabimini ſocii Regum, Judices criminum: Vivite poſthac laboris expertes, conſulite Regibus publico nomine, favete orphanis, juvate pupillos, conſilio circumdate Principes, ab his victum & ſtipendia petite. Goldaſt. in Conſtitt. Imperial. tom. 3. Latin. fol. m. 120.* Atque hi ipſi ſunt, cum quibus de gravioris momenti rebus deliberare ſolebat Carolus, eorumque conſilia in Comitiis explorare. Quod ipſum luculente nobis teſtatum reliquit *Hincmarus, Archiepiſcop. Rhemenſis, nobili Fran-*

corum proſapia oriundus, inque aulicis regni negociis ætate Ludovici Pii, ejusque filiorum, verſatiſſimus, epiſtola ad Epiſcopos Franciæ perſcripta 3. cap. 29. Conſuetudo, ait, *erat tunc temporis trita, ut non ſæpius, ſed bis in anno, placita duo tenerentur. Vnum, quando ordinabatur ſtatus totius regni ad anni vertentis ſpatium: quod ordinatum nullus eventus rerum, niſi ſumma neceſſitas, quæ ſimilter toti regno incumbebat, mutabat: In quo placito generalitas univerſorum Majorum, tam Clericorum quam Laicorum, conveniebat. Seniores propter conſilium ordinandum: Minores propter idem conſilium ſuſcipiendum, & interdum pariter tractandum, & non ex poteſtate, ſed ex proprio mentis intellectu, vel ſententia, confirmandum.* Quibus verbis unum ſolum concilii genus deſcribit, nimirum quod erat univerſale & commune totius populi. In quo non Majores ſolum, ſed Minores quoque conveniebant: Vnde hunc Hincmari locum optime emendat *Excellentiſſ. D. Conringius in diſp. de Germanic. Imp. civib. n. 13.* ut illa legatur: *generalitas univerſorum Majorum & Minorum:* Per Majores vel Seniores, tam Laicos quam Clericos, intelligit Duces, Comites, Abbates,

bates, Epiſcopos, quibus jus ſuffragii in Comitiis ferendi erat: Per minores vero non tam Schultetos, Judices & Magiſtratus oppidanos, quo tendere videtur *Labemann. in Chron. Spirenſ. lib. 2.* quam populum univerſum, quod ſolidis ſatis rationibus probat *Dn. Conrig. diſp. alleg. n. 33.* Ejusmodi vero concilia, ſeu, ut illa ætas vocat, *placita*, ſingulis ferme annis habebantur, quod prolixe oſtendit *D. Arum. tr. de Comit. cap. 4. num. 19.* Cæterum quando hæc concilia vel cum Senatu Romano, vel cum iis, quæ hodienum conſtituuntur, Comitiis, in contentionem arceſſimus, apparebit, quanta eorum ab utroque hoc concilii genere ſit diverſitas. Quod enim Senatum Romanum attinet, quantumvis ex permiſſione ac mera Pricipum indulgentia ſuam obtinerent auctoritatem, ea tamen ita comparata erat, ut præter nudam conſulendi facultatem, etiam decernendi confirmandique ea, quæ a Principe proponebantur, poteſtatem continere videretur, ita ut in condendis Legibus non conſilium modo Patrum, ſed conſenſus etiam, requireretur. At vero Caroli M. poteſtas vere regia fuit, nullius arbitrio hunc in modum obnoxia, ita, ut quod Leges, & cætera Majeſtatis jura, ſpe-

 ctat,

ctat, omnia ſuo arbitratu peregerit, adhibitis in conſilium ſaltem Proceribus, & populo.

Quantumvis enim longe aliud colligere liceret ex iis, quæ adducit *Fr. Hotomannus in Francogall. paſſim, imprimis cap. 12. 13. & 14.* attamen, quam ea parum ſolidis rationibus innitantur, pridem oſtenſum eſt *Excellentiſſ. Dn. Bœclero noſtro in Comment. de reb. ſec. 9. & 10. p. m. 19.*

Cujus hac de re judicium nobis pariter cynoſuræ inſtar eſſe poterit, ad diſcutienda ea, quæ adferuntur ab *Arumæ. lib. de Comit. cap. 4. n. 1. & ſeqq.* ubi diſerte adſtruere non veretur: *Placita illa ſub Caroli M. & ſucceſſorum imperio habita, tam noſtris Comitiis, quam ὀ λυμὸ ὀδὸ, quadrare.* Quod enim ait, *credibile non eſſe, unquam Germanos eam in ſervitutem ſe demiſiſſe, & a priſtina libertate in obſequium Caroli veniſſe, quod ad ejus, vel ſucceſſorum quoque, nutum ſtatim graviora regni negocia ordinare coacti fuerint*, ecquis non videt, parum firma ratione hæc colligi, cum id jure belli a Carolo factum, quo victi leges a victoribus accipiunt. Quod Hincmari porro auctoritatem attinet, parum ad rem ea facere videtur. Præterquam enim, quod

locu-

locutio ejus ævi Scriptorum non accurate adeo attendi meretur, ut inde argumentum peti poſſit, ipſa etiam illa Hincmari verba aliam longe mentem præferunt, quam, quo ea detorquet Arumæus. Verba ea ſunt, quæ ſuperius jam adduximus: Vnde hanc exſtruit collectionem: *Id quod ordinatum ac ſtatutum in conventu, nullo eventu rerum illo anno, niſi ſola neceſſitate, mutari potuiſſe. Regis ergo vel arbitrio Imperatoris Comitiorum ſubjecta concluſio non fuit, ſed neceſſitate quadam ad ejus obſervantiam non minus, ac ordines, conſtrictos fuiſſe.* Sane hanc argumentationem parum convenire menti verbisque Hincmari, ſatis liquet: Quod enim ordinatum ac ſtatutum in conventu erat, juſſu nimirum ac auctoritate Caroli, ut Regis, adhibito Procerum plebisque ſaltem conſilio, id mutari non potuit: Quo ipſo non tam libertas Caroli, quam Procerum, conſtricta fuit; Et quis credat, eo animo fuiſſe Carolum, ut ſponte ſe arbitrio eorum ſubmitteret, quos ipſe tum temporis ut Præſides ſingulis præfecerat Provinciis.

Cæterum, quamdiu Imperium continua ſucceſſione ad poſteros Caroli Magni propagatum fuit, dubium non eſt, quin conci-

ſiorum ac conventuum eadem manſerit ratio; Ea vero ſtirpe in Ludovico IV deficiente, arctius paullo aſtrictam pedetentim fuiſſe Imperatorum poteſtatem, nonnulli arbitrantur, partim, quod tum temporis libera electione Imperium conferri cœpit, partim etiam, quod dignitates Procerum progreſſu temporis hereditariæ factæ fuerint. At vero illud a fide Hiſtoriarum plane alienum, quod ſubſequentes Imperatores nuda Electione ad Imperium pervenerint, tum nec dignitates Procerum ſimul omnium jure hereditario poſſideri cœperunt, ſed pauciſſimorum ſaltem, invaleſcente poſtea longo temporis tractu feudorum conferendorum uſu. Iccirco Comitia quidem ſæpius celebrata, illisque de republica, de pace & bello, de tributis & vectigalibus, de legibus ferendis, &c. deliberatum, vigente tamen in omnibus regia poteſtate, ut inculcat *Excellentiſſ. D. Præſes in Comm. ſect. IX. & X. pag. 323.* Satis id oſtendit quoque Friderici I. Oratio, qua Proceres Imperii hortatus eſt, in medium ut conſulant, de Legibus novis vel ferendis, vel antiquis ſenium paſſis, & juſtitio diuturno oppreſſis, renovandis, apud *Gunth. Lig. lib. 1. verſ. 457.* ubi inter alia hæc:

Ipſe

Ipſe quidem quamvis divino munere Princeps
Summus in orbe ferar, legumque immunis & expers,
Non ſervire quidem cogar, ſed condere jura
Fas habeam, veſtris cupio diſponere cuncta
Conſiliis, noſtro non ægre ſpondeo juſſu,
Vel ſancire novas, vel priſcis legibus uti.
Nam nihil, ut verum fatear, magis eſſe decorum
Aut regale puto, quam legis jure ſolutum
Sponte tamen Legi ſeſe ſupponere Regem.

Duæ adhuc ejusdem Frederici exſtant aliæ orationes apud eundem *Gunther. lib. 7. verſ. 327. & lib. 9. verſ. 197.* quibus Principes Imperii contra Mediolanenſes inſtigat. Dicebantur tum temporis Comitia ſignanter CVRIÆ, Germ. Höve, vid. quæ notat *Marquard. Freher. in Conſtit. Adolf. Rom. Reg. in Curia Norimbergenſi promulgata,* ubi de Curiis Cæſarum, & Legibus Curiatis agit. Celeberrima fuit illa Caroli IV apud Nürembergam MCCCLVI habita, in qua cum

cum ſumma rerum in Imperio pleraque diſtinctiſſime ordinata fuerunt, tum de ipſa ratione & forma Curiarum habendarum diſpoſitum. *vid. A. B. cap. 26.* unde magnam partem in ſuum Commentarium de Imperio Romano transtulit *Petrus de Andlo lib. 2. cap. 15.* add. *Hippolyt. a Lapid. de R. S. part. 1. cap. 5. ſect. 3. n. 15. 16.*

Atque ab hoc tempore paullatim creviſſe tam Comitiorum, quam Statuum auctoritatem, indubium eſt, donec Maximiliano I. Imperatore ferme roborata, antiquæ Imperatorum potentiæ tantum fuit derogatum, ut in iis, quæ pacem ac bellum, Leges ferendas &c. ſpectabant, non conſilio ſolum, ſed conſenſu quoque Imperii Statuum, opus eſſe cœperit. Quod enim ante dicebatur conſilio Procerum factum, ut & *in Reformat: Friderici III. de Anno 1441. adhuc & in Conſtitut. Maximiliani I. de pace publ. de Anno 1495.* videre eſt, id poſtea conſilio & conſenſu eorum conſtitutum ferebatur: unde illa in Receſſib. Imp. ſemper fere adjecta clauſula nata: **Und haben wir uns mit den Ständen, und ſie ſich hinwiedrum mit uns, verglichen;** Hocque ipſum eſſe videtur, quod *Tobias Paurmeiſter lib. 2. de juriſdict. Imp. cap. 3.*

Con-

Conſenſum mutuum Cæſaris & ordinum Imperii formam ſubſtantialem facit decretorum Comitialium.

Vnde jam ſatis conſtat, ea, quæ nunc inſtituuntur Comitia, ſecus, quam aſtruere conatur Arumæus, a placitis ac Curiis illis veterum Imperatorum in plurimis differre.

Multo minus autem Comitia noſtra cum antiquo Romanorum Senatu, qui Impp. tempore fuit, contendi poterunt: Enimvero nihil hic factum, nihil, quod ſubdole aut inſpeciem tantum, agatur, nihil, quod ab ordinibus precario & ex conniventia Imperatoris, teneatur, ſed omnia certis legibus ordinata, quibus tam Imperatori ſua poteſtas, quam ordinibus jura ac libertas, integra & illibata conſervantur. Nimirum in ejusmodi Senatu, qualis erat tum temporis Romanus, aut ſi quæ alia id genus comitia adferri poſſunt, Ordines cum Principe conſultante habent ſe inſtar cauſæ inſtrumentalis, nec efficiunt decretum, ſed Principi efficienti opera & miniſterio præſto ſunt. In noſtris vero Comitiis Ordines Imperii vera & propria efficientia ad decretum concurrunt, & una cum Cæſare cauſam efficientem principalem referunt. Ibi conſenſus ac voluntas ordinum ad bene eſſe, hic ad

eſſe

Digitized by Google

eſſe decreti concurrit. Hæc omnia miris modis conturbat ac involvit *Hippolyt. a Lapide part. 1. cap. 4. ſect. 1. & ſequ.* quando omnem comitialem poteſtatem Imperatori detrahit, eumque ut miniſtrum Imperii, Præſidem ſaltem Comitiorum, confidentius paullo agnoſcit, Ordinibus contra omni ſumma poteſtate attributa. Cujus quidem argumenta facili negocio convelli poſſe videntur, nec id ab inſtituto alienum foret, ſiquidem temporis ratio longius exerrare permitteret: Nos impræſentiarum hic anchoram figimus: hæc, & quæ hiſce gemina adferri poſſent alia, in commodius tempus differentes.

D I X I.

PRO-

Digitized by Google

II.

PROLVSIO
DE
PHILOSOPHIA PAPINIANI
PRAEMISSA
LECTIONIBVS MORALIBVS
A
IO. PHILIPPO SLEVOGTIO
D. PHILOS. AC IVR. ET VTRIVSQ.
PROF. PVBL.

IENAE CIↃ IↃC LXXXI.

Digitized by Google

AVſpicaturus ciuilis ac moralis doctrinæ publicam interpretationem, ſolennique oratione Academicis meditamentis proluſurus, non imitabor vanum poetarum morem, a commentitiis diis, ſurdisque ad preces omnes, operum ſuorum exordia repetentium; ſed certiore ſucceſſu ad te mentem oculosque attollam, a tui inuocatione primordia laborum capiam, verum, vnicum, æternum numen: quod cuncta audiens, cuncta gubernans, mediis cogitationibus noſtris & actibus interuenis; quodque Prytaneum hoc, præclarum ſapientiæ emporium, ad hanc vsque diem tam potenter conſeruas, & nobilium ſtudiorum florem ac famam in eo perpetua eſſe iubes: contractis in vnam ſedem tot excellentibus ingeniis, ætate, doctrina, vſuque rerum eminentibus, vt erudiendæ iuuentuti vitam ac ſpiritum impenſura, negotium agant orbis terrarum, & contra litterarum ac morum barbariem innumeras colonias emittant. Tibi igitur immortalas iam gratias ago; tui nominis venerationi ac gloriæ totum me conſecro, clementiſſimum numen: cujus ineffabili bonitate factum

ctum eſt, vt vobis, Patres Academici, quorum auctoritas; eruditio, exempla ingentes mihi quotidie ſtimulos addent, nuper admodum adſcriptus, ſtudioſam pubem formare in ſpem vſumque reipubl. & ad communem Academiæ vtilitatem referre cuncta iuberer; inter perpetuos bene merendi conatus, in tranquillo hoc ſtudiorum portu ac veluti nido, omnem deinceps ætatem, vti ſpero exoptoque, decurſurus. Tu æterne Deus, gratia nunquam expiratura augeas protegasque excelſam Saxonum domum, vt ſacrarium hoc Muſarum, hoc ſcientiarum omnium oraculum, exornent porro ac tueantur conſueta clementia, auitæque gloriæ heredes & æmuli; ſtudiorum ſinus ac præmium, humani generis deliciæ ac ſalus, ſemper & vbique perhibeantur, decora ſua non tam æris metallo ac morituris tandem marmoribus, quam animis ciuium & indelebili litterarum memoriæ inſcripturi. Quandoquidem igitur diuinis auſpiciis, conſilioque certo, & conſentientibus voluntatibus Sereniſſimorum Saxoniæ Ducum, Dominorum meorum clementiſſimorum, in ſtatione hac collocatus ſum; illud deinceps vnice mihi incumbere video, vt quam initio promiſi operam, induſtriam, fidem, præſtare pro vi-

rili coner, relictaque aliis ingenii & eruditionis palma, de ſola obſequii & muneris rite obiti laude certem, procul ambitione turpi ac faſtu, procul praua contendendi libidine: qua nihil aut feracius offenſionum ac turbarum, aut homine, ſacris ſapientiæ deuoto, eſſe magis indignum poteſt. In te vero, florentiſſima Iuuentus, Lycei noſtri cara portio, ſæculi ſpes ac votum, tot parentum ac rerumpubl. inæſtimabile depoſitum; ita te mihi poſthac cura omnis vertetur, nec vnquam ceſſabo publica voce magnæque virtutis ac doctrinæ exemplis te compellare, vt nominis tui memor, & ſurrectura in præſidium ac decus patriæ, tantum nitaris proficere, quantum alii prodeſſe laborabunt. Atque adeo nunc etiam, ſub demandati ingreſſu muneris, inuſitato ac pæne diuino argumento te conueniam, ſiſtamque oculis tuis exemplum viri, ad omnem poſteritatem memorabilis: qui ſicuti ſtante adhuc imperio Romanorum ad ſummum honorum culmen, & proximam Cæſaribus poteſtatem, prouectus, ingenii magnitudine cæteros mortales longo poſt ſe interuallo reliquit; tanta prudentiæ atque eruditionis fama, vt pro naturæ miraculo ac numine quodam iuſtitiæ coleretur, nec comparandus cum eo quiſquam, niſi

per

per deridiculum cenſeatur: ita ſanctioris diſciplinæ cultu, & virtute nullis Caracallæ tyranni minis violabili, tantum nomen adeptus eſt, vt tanquam boni viri ac ciuis norma, verique philoſophi ſpecimen, ſæculis omnibus commendari mereatur.

Diuini Platonis, & poſt eum diſertiſſimi togatorum ſententia fuit, non poſſe præclarius cum rep. agi, quam ſi aut ipſi, quos ſummæ rerum fata admouerunt, ſapientiæ ſtudiis incubuiſſent; aut illi ſaltem haud perfunctoriam in iisdem poſuiſſent operam, quorum conſiliis rectores populorum vterentur. Quod quidem, ut multa præclara alia, tam ſollerter a Romanis obſeruatum legimus, vt nihil æque penſi facerent, quam artem illam regendi generis humani, quæque docet veris vitæ præſidiis tum publicam, tum priuatam ciuium fortunam ſtabilire.

Primis reip. temporibus, & poſtea ſub Cæſaribus etiam, quum nondum e curia & foro exterminata quaſi eſſet eloquentia, vocabulo hoc omnem negotioſæ philoſophiæ ambitum complectebantur; ſub auguſto oratoris nomine intelligentes virum vere ciuilem, & publicarum priuatarumque rerum adminiſtrationi accommodatum, qui regere conſiliis vrbes, fundare legibus & iu-

 diciis

diciis emendare poſſet. Ac diu apud Romanos non modo, ſed apud Græcos pariter (vnde multa populi Quiritium inſtituta) oratorii muneris fines tam late porrigebantur; donec ignauia & inſcitia mortalium eueniret, vt recte faciendi & recte dicendi ſtudia, communi aut philoſophiæ aut eloquentiæ nomine deuincta, indigno prorſus diuortio diuellerentur, ex illoque tempore ſapientes alii, alii oratores appellarentur. Durauit interim in eruditorum ſcholis vetus ſententia, nec defuere vnquam ſub imperatoribus excitatæ animæ, quæ vtramque & recte ſapiendi, & ſapienter loquendi diſciplinam arctiſſime iungerent, excolentes in primis pulcerrimam illam, vt Plinio appellatur, philoſophiæ partem, quæ docet negotium agere publicum, promere & exercere iuſtitiam, atque in vniuerſum præcepta ſapientiæ in vſu habere.

Sed nunquam fere lætius floruere nobiliſſima hæc ſtudia, quam ſub M. Aurelio Antonino, optimo atque doctiſſimo imperatore: qui & cognomen *philoſophi* ſibi iisdem meruit, ac teſte Herodiano, ſolus Cæſarum docuit exemplo ſuo, ſapientiam non in verbis ac ſcientia dogmatum, ſed in ſeueritate morum ac vitæ innocentia conſiſtere. Sub hu-

Digitized by Google

huius igitur imperio, ſicuti magno certamine ingenia ſe protulere, auſpiciis ductuque principis ad ſumma quæque, & ingenuarum maxime artium amorem inflammata: ita exoriri pariter fata voluere ingens melioris orbis lumen, quod ſæculum ſuum & ſinceram ſapientiam colluſtraret mirifice, venturiſque mortalibus tam incitamento quam documento eſſet: Æmilium nempe Paullum Papinianum, virum patriciæ gentis, & tum natalibus tum naturæ dotibus illuſtrem; nunc ab inferis quaſi, vt pulcerrimo vobis ſpectaculo & admirationi ſit, revocandum.

Primæ pubertatis annis, indole, igne quodam volucri, & omnium quæ doceri ac diſci poſſunt, capace, ſub Ceruidio inprimis Scæuola, acutiſſimo æui ſui iureconſulto, & Antonini Cæſaris amico ad ſummos virtutis ac gloriæ gradus contendit, eaque necdum veſticeps præſtitit, quæ ſenectutis opera eſſe potuiſſent, & æmulationem atque inuidiam omnem æqualium tranſcenderent. Florebat ea tempeſtate Stoicorum præcipue diſciplina, ac grauisſimorum hominum ſtudio colebatur, quod ſanctitate ſententiarum, verisque vitæ monitis, duceret ad contemtum rerum humanarum, & in aduerſis patientia firmaret animos, ac diuinitate quadam imbueret,

ret,

ret, quos nondum tumentes inani faſtu, ſuique ignaros, & monitoribus aſperos; ſed modeſtos ac mitioris indolis accipiebat. In contemnenda cumprimis mortis formidine, inque amore iuſti ac recti, palmam auferebat cæteris fortisſima & ſanctisſima hæc, vt magno Senecæ vocatur, ſecta, cultoribus ejus venerabili morum ſeueritate conſpicuis, nec vnquam libertatem niſi cum vita amiſſuris: vti vel ſola Catonis, Heluidii Priſci, Thraſeæ Pæti exempla ſatis teſtabuntur.

Hac ergo philoſophia Papinianus etiam non leuiter tinctus, & veri falſique inueniendi arte munitus; quum antea excelleret naturali acumine, tantum ſuæ gentis æuique ſapientes exſuperauit, quantum pleraſque Europæ nationes Itali creduntur iudicii profunditate, acrimonia, elegantia anteire. Quo igitur non penetrauerit tam incomparabile, tam diuinum mentis lumen? quibus tam vel denſisſimis ſcientiarum tenebris non diem quaſi immiſerit?

Vt itaque a doctrina iuris, quod æternus rerum parens auctorque animis mortalium ingenerauit, exordiamur; ſane ex reſiduis adhuc monumentis ac ruderibus intelligere aperte licet, quanta viri prærogatiua fuerit in iſto genere, quamque nemini eorum, qui

natu-

naturaliſtarum nomine hodie celebrantur, iudicio atque eruditione vnquam ſit ceſſurus. Præclarum hodie vulgo exiſtimatur, vniuerſalia principia ac præcepta iuris naturalis explanaſſe commentariis, & corrogandis tum veterum, tum recentiorum teſtimoniis, captaſſe litterati populi auram, & iuxta optimatibus etiam placuiſſe. At alia longe via incedens Papinianus, non hæret in limine, non alienam auctoritatem in ſuæ fulcimentum accerſit; ſed ſuismet pollens opibus, & recondita quæque petens, interiora nobis pandit myſteria naturæ, laboreque tam illuſtri quam arduo, per ſingulares ſpecies factorum, ecquid conforme rationi ſanæ pronunciandum ſit, declarat. Quo inſtituto, & profectu, non ſemper impari, quum acerrima Italiæ ingenia populo Romano vel interpretarentur iura, vel ſancienda monſtrarent ac ſuggererent, peperere nobis immortale illud Pandectarum volumen, quod magnam ſui partem non tam ſanctiones ciuilium poteſtatum, quam æterni legislatoris oracula, in conſpectu generis humani, remoto quaſi velo, conſtituit ac bono in lumine collocat. Vt hodieque philoſophantes de moribus, & naturæ iura explicantes (quos peculiari Moraliſtarum appellatione cæteris ſe-

ſecernere mos eſt) quoties a communibus præceptis deſcendendum ad remotiora & magis ſpecialia, nihil proferre in medium habeant, quam veterum reſponſa conſultorum, & pæne integros iuris Quiritium commentarios. Certiſſimo equidem argumento, quantum hac parte Romanorum prudentia præſtiterit.

Silentio hic inuoluam reliqua Papiniani ſtudia, & illum præcipue ſapientis eloquentiæ cultum, quo futuræ magnitudini proludens, ac mentem capaciſſimam inſtruens, in vmbra exercitus quodammodo fuit. Nunc prodeuntem celeri gradu, & pari meritis fortuna adſcendentem ad lucem imperatoriæ aulæ, ſummumque honorum apicem, lætis ac fauentibus animis ſequamur. Nihil equidem a ratione vera illi aberrant, qui ſummarum poteſtatum aulas palæſtras vocant, in quibus tam ad prauas artes quam virtutes erudiri mortalium animi poſſint, prout nactæ fuerint indolem in alterutrum horum pronam. Neque alibi certiora probitatis, prudentiæ, conſtantiæ, experimenta inuenias: quum in tam vario cœtu ingeniorum, inter tot fallaciarum artifices, illasque peccandi illecebras & exempla, graſſantibus perpetuo & vrgentibus inuidia atque odiis, non poſſis

non

non aut labem trahere & corrumpi, & in præceps ruere, aut inſignia pectoris bene præparati firmatique edere ſpecimina. Quæ non raro tamen iisdem exitio fuere, quos euehere ſupra inuidiam debebant: tam atroci delatorum improbitate, vt quoties veræ accuſationis argumenta deeſſent, virtutem ipſam in crimen raperent. Quid Thraſeæ Pæto olim, quid aliis obiectatum fuerit, illuſtris Romanorum Annalium conditor memorauit, & ex illo, de Thraſea facundiſſimus ſæculi noſtri orator, mirifico verborum nitore repetiit. *Quod* ſcilicet Neronis, inquinatæ illius belluæ, horrenda ſcelera & parricidia deteſtaretur; quod deorum atque hominum odium laudare nollet; quod ſubditas vrbi faces, ardentemque patriæ rogum, vndante ciuium ſanguine reſtinctum, minus læto oculo adſpexiſſet; quod quum de Agrippina ageretur, & ſupplicationes diis, ob matrem a filio interfectam, tum principali ſcorto, in deorum contumeliam, cæleſtes honores a ſenatu decernerentur, ex illa mancipiorum colluuie ſe proripuiſſet; quod denique citharœdo cantante pars populi adulantis non fuiſſet, nec pro *cæleſti voce* unquam immolaſſet.

In eandem igitur arenam Papinianus,

 æter-

æterna magnitudinis ſuæ documenta orbi daturus, a fatis producebatur, vt in vrbe gentibus adorata, in humani generis conuentu, inter grauiſſimas pro publica felicitate curas, & ceruicibus omnium, præterquam principis, ſuperuectus, parem Thraſeæ mortem inueniret, non alia exitii cauſſa, quam quia perpetuum ſub malo principe crimen eſt, virtus & innocentia. Fauebat Papiniani incrementis fortuna, quamdiu clauum imperii Seuerus, princeps bellorum gloria incomparabilis, tenebat: qui admiratione prudentiæ tum ciuilis tum militaris, tanto affinem illum ſuum amore complectebatur, vt non extolleret modo ad ſummum dignitatum culmen, data prætorianorum præfectura; ſed moriturus etiam diſcordium filiorum tutorem, quaſi is ſolus placandis & in officio continendis animis ſuffecturus eſſet, ſupremis tabulis conſtitueret.

Sed modum iam exceſſerat fraterna discordia, & truculentus Basſiani Caracallæ faſtus neſciebat conſortem imperii ferre. Dum itaque mutuis odiis atque inimicitiis flagrant animi; dum infanda omnia aut machinantur, aut formidant, ſpe pacis inter infenſos & ſuſpicaces ſublata; videbatur adhuc mitigari malum poſſe, ac parricidium ſaltem prohiberi,

Digitized by Google

beri, ſi partirentur imperii fines, & ſicuti animis ita corporibus quoque diuulſi, vterque regnarent: niſi improuidus & infelix Iuliæ matris amor, ſaluberrimum diſturbaſſet conſilium, eademque imprudentia Getæ ac Papiniano exitium concitaſſet.

Nam Baſſianus Caracalla, & regnandi libidine & exulcerato in Getam odio percitus, quum ab inſidiis ac veneno aut lentum aut nullum auxilium intelligeret fore, quæque fratri parabat, ne occupata occaſione in ſe patrarentur, quotidie vereretur: impatiens tandem moræ omnis, magnumque aliquid vel audendum vel expectandum ratus, irrumpit in cubiculum fratris, & ſecurum periculi, nihilque funeſti metuentem, in complexu matris, deorum atque hominum opem necquidquam implorantis, crudeliter obtruncat, tanto furoris æſtu, tam nefaria ſceleris immanitate, vt & materni ſinus cruore filii contaminarentur. Quo ſcelere expatrato, in domeſticos omnes amicosque fratris pari ſæuitia graſſatur, non dignitati, non innocentiæ, & ne infantum quidem ætati parcens: ne ex imperatoria cognatione, aut in ſenatu ex patricio ſanguine, aut in prouinciis inter duces exercituum, quin & ne inter viliſsima miniſteria & mancipia quidquam

Digitized by Google

quam ſupereſſet, quod leui tantum cognatione aut notitia fratrem attingeret.

In tam horrendæ igitur ſæuitiæ ſpectaculis, Papinianum quoque inexpiabili clade tollebat parricidæ rabies: neve communi cum cæteris crimine, aut per ſcelus crederetur ſublatum ſpirans illud virtutis atque iuſtitiæ ſimulacrum, integritas viri, more omnium tyrannorum, in occaſionem cædis rapitur, & imperata parricidii excuſatione, quam nec ſuſcipere quisquam mortalium ſine flagitio poterat; nec Papinianus vnquam erat ſuſcepturus, tanquam detrectaſſet imperatoria mandata, trucidari impie iubetur. Conſentiunt in eo plerique ſcriptorum, tametſi non fuerit præfecti prætorio, dictare imperatori orationem, qua ipſe crimen velaret: de purgando tamen apud exercitum & ſenatum parricidio; appellatum Papinianum fuiſſe: tum vt abuteretur Baſſianus ingenio atque auctoritate tanti viri, & magno nomine atrocitatem ſceleris obumbraret; tum vt aut cogeret comprobare inuitum, quæ ſummo hactenus ſtudio diſſuaſerat, aut obtentu negati obſequii, ac violatæ reuerentiæ, principi debitæ, tollere e medio recuſantem poſſet.

Ille igitur ſatis videns, immanis belluæ rabiem prolapſam ad extrema, nunc virtutem

ſuam

Digitized by Google

ſuam famamque nefariis iusſis tentari, maluit exemplum dare ſæculis inuicti in morte, atque omnis potentiæ contemtoris animi, quam aut ſpe, aut mercede infamis vitæ, priorum operum gloriam dehoneſtare, perditis ingeniis tegendorum ſçelerum prætextum aç viam monſtrare. Hic iam aduertat mihi aliquis mentem, & Stoicæ ſapientiæ conſultum in Romani iuris vate ſuſpiciat ac veneretur: quem nec opum, & dignitatum & carisſimarum necesſitudinum iactura, nec tyranni furor praua imperantis, nec ferri, ceruici iam iam imminentis, horror, quatere mente ſolida valuerunt; quem denique impauidum ferituræ erant ruinæ, ſi vel fracto orbe ſumma imis Cæſar miſcuiſſet.

Quo tam illuſtri virtutis documento, quamquam memoriam ſuam Papinianus viuus, vt ita loquar videnſque conſecrauerit, & poſteritas omnis admiratione eius ferme hæreat attonita: poſt tantum tamen æui exortus eſt in Gallia iureconſultus, iudicio non minus quam eruditione inſignis, qui magnitudini huius gloriæ haud parum obtrectans, fortius quam ſapientius ab eodem factum fuiſſe arbitratur. Quoties enim eo excreuerint reipubl. morbi, aut flagi-

flagitia principum, vt nullus amplius locus ſuperſit remediis, ſatius fore, ſi indulgeatur nonnihil inſanientium libidini, quam vt in furorem ſponte ruentes, pertinacia inſuper impellantur. Neque aliud operæ pretium feciſſe iureconſultum noſtrum, quam vt tum ſemet perditum iret, tum reipubl. iam ſatis afflictæ, innumera mala procrearet: quum deſtitutus monitore Baſſianus, ſibique relictus, nec quoquam impetum ſæuientis prudenti conſilio morante, non deſtitiſſet cædibus ac luctu cuncta implere, donec merito tandem infortunio & morte a ſucceſſore Papiniani mactaretur. Multo itaque rectius conſulturum fuiſſe tam ſibi, quam publicæ ſaluti, ſi ſe ipſum reipubl. & hanc principi, aut denique ſibi etiam, iuſto indulgens dolori, conſeruaſſet. Capere hinc documentum magiſtratus iubet, ne vbique obnitantur ſuis principibus, ſed quæ mutari & auferri nequeunt, patienter ferant.

Hæc non ſine colore a Ioanne Bodino contra Papinianum ſtatuuntur: neque nos diffitemur, differre multum, ſuadeas & perpetres parricidium an excuſes: quum perfecto flagitio nihil integrum amplius, & pœnitentiæ ſoli atque excuſationi in principe lo-

locus ſit. Præter hæc dabatur adhuc inter obſequium turpe & recuſandi pertinaciam media via, vt maturo abitu conſuleret tantiſper ſecuritati ſuæ, dum aut precibus amicorum, aut temporis mora & per abſentiam offendentis, ira principis mitigaretur.

Sed omnia iſta, quantamcunque ſpeciem recti aut prudentiæ habeant, ſi accuratius paullo atque ex vero & fide hiſtoricorum æſtimentur, tam parum habebunt ponderis, vt virtus ac ſapientia ſummi viri multo magis conſpicua hinc reddatur. Nam illud initio pro indubitato ponamus, non excuſari poſſe parricidium ſine crimine, & veritati non modo vim inferri mendacio, in fraudem audientium praua dicentis arte compoſito, ſed proſtitui etiam auctoritatem diu collectam, & in republ. feliciter adminiſtranda ſumme neceſſariam; ſtrata inſuper via malis ingeniis, ad ſcelera omnia, ſcelerumque velamenta: quo fructu, obſecro, etſi potuiſſet iurecoſultus honeſte obſequi, audiret hic Baſſianum & de eo meliora ſperaret, qui patris viuacitati infenſus, medicos eius omnes, quod neglecto mandato ſuo non maturaſſent decumbentis fata, perimendos crudeliter iusſiſſet, ipſamque Getæ matrem, ſuam nouercam, orco

datu-

daturus fuiſſet, ni imperare affectui, & lacrimas ob enecatum filium mature didiciſſet cohibere? Huc accedebat odium aduerſus omnes omnino implacabile, quotquot fratri (quem hoſtis tantum nomine ſignabat) aut accepti olim aut amicitia iuncti fuiſſent. In quorum numero præcipuus ſemper Papinianus habebatur, concordiæ fraternæ ſollers ſuaſor, & præter hæc in illo præfecturæ culmine, in illa rerum præclare geſtarum luce, quam fama inuſitatæ eruditionis ac virtutis augebant, apud vniuerſos ac ſingulos tantæ auctoritatis, vt a nemine plus periculi immineret Baſſiano, ſi ille quidem permittere ſe populi atque exercitus votis, & præeſſe imperio orbis terrarum, quam tyranno ac parricidæ parere maluiſſet. Moriendum itaque erat Papiniano, ſiue exequeretur iuſſa, ſiue detrectaret: eo tamen diſcrimine, vt ex detrectatione, fortis ac ſapientis viri laudem, nullis vnquam ſæculis morituram, fœneraretur; obſequio autem turpi inquinaret famam, grandibus tot annorum operibus quæſitam, ac ſubiret haud dubie fatum Romani ſapientis, qui dictatis Neroni litteris, quibus apud ſenatum occiſæ matris ſcelus obtegeret, tam infamis reddebatur in ciui-
tate,

tate, quæ nondum profligarat omnem honeſti curam, vt præeunte in Annalibus Tacito, non iam Nero, cujus immanitas omnium queſtus anteibat, ſed aduerſo rumore Seneca eſſet, quod oratione tali confeſſionem ſcripſiſſet. Et quis ille mortalium, cui tanta ingenii vis, tanta facundiæ efficacia, vt ſubducta quaſi veritate, & profundo tenebrarum merſa, aliud perſuaderet ciuibus de interfecto Geta, quam quod indoles vtriusque principum, & ſæuus ac truculentus Baſſiani animus ſatis docebant. Nihil itaque vltra erat Papiniano, quod aut ſperaret, aut ſine dedecore ac detrimento famæ ſuſciperet: turpi etiam omni mortis fuga, nec apud ferocem, & ſuſpicionibus indulgentem, profutura: quum habendi amittendive imperii cupidine ac metu nihil ſanctum iuſtumque haberet amplius, perque ignes ac ferrum ad ſecuritatem imperii viam ſibi faceret.

Huc igitur animos, huc oculos conuertat ætas omnis, mireturque Papinianum, ſupremum illum naturæ indulgentis conatum, & ſtuporem ſæculorum, non vt in culmine rerum ſuper omnes eminens, pacis bellique negotia diuinis conſiliis operibusque moderabatur, *ſed corruptam a*

Digitized by Google

delatoribus, adulationi imperuium, impigrum officii, rebus vndiquaque turbidis ſui compotem, ſtantem ſub ictu, & fuſo magis ſanguine, quam purpura illuſtrem. Nunquam profecto, vt vere de te magnus Germaniæ vates prædicauit, *ſic oculos animosque ſpectantium affecere ſecures, quas Prætorii præfectus, oſtentui gentibus, indices dignitatis, anteferri iuſſiſti, ac illa, quam in procumbentis ceruices adegit parricida furor. Exitium tuum (vt plerique arbitrantur) triſte: vt magni & queis ſupra vulgui ingenium, gloria & honore perenni conſpicuum. Sæuit imperator, ſollicitat miles, circumſtrepunt lamenta pauentium fœminarum, procul canities & ſenium, cadii &, qua te tibi ſuperſtitem crediderας, cum prole ſpes poſteritatis: neque deerat, ſi Cæſarem audires, quod imitareris exemplum; nec tamen adactus tu es, quo Seneca olim, quo Burrhi. Tanti fuit inania transmittere, vt vel bonorum ac vitæ contemtu cenſuris aſſerendum illud fas, cui gloriam adieceras opere ac ſcriptis. Grandi profecto documento virtutis, quæ ne ſeruili quidem cruciatu deteritur, ſed per quidquid graue, triſte, minax, exurgit. Plus illa dum con-*

tra

tra nituntur flagitia, valet; quam quum inter voluptatum illecebras ac plauſus, velut in otio, ſemet ipſam nec experitur & ignorat.

Sed vt ad te reuertar, lectisſima iuuentur, incrementum ac decus noſtri Prytanei, & vti nunc te comparaueris, ſic exemplum olim nepotibus futura: erige mentem tam illuſtribus documentis, quaque via ad virtutis ac gloriæ faſtigium perueniatur, adoleſcentibus adhuc annis diſce. Non eſt, crede mihi, non eſt res otioſi animi ſapientia, nec penetrari in illius arcem aut quidquam hominum generi profuturum præſtari poteſt ſine ingenti labore. In arduo ſedem ſibi fixit virtus, decoroſque vultus inter ſidera veluti abdidit, nec niſi generoſas mentes, & aſſiduo incumbentes operi, adſpectu gratiaque dignatur. Ad hujus venerationem ac cultum, ne talibus tantum exemplis te videar exhortari, quæ ſupra captum tuum viresque, ac ſupra priuatam fortunam, ſunt; en agedum, quisquis vero ſapientiæ ac virtutis amore ardes, flecte huc oculos ad præſentiora incitamenta, ad illa Lycei noſtri lumina, atque ex conſeſſu tam nobili & amplo cape tibi ſtrenue,

quos admireris, quos colas, quorum denique ſapientiam, doctrinam, decora imitari modis omnibus labores. Tunc vero te prædicabo felicem, & communi patriæ pollicebor ciuem præſtabilem; nec minus meæ fortunæ gratulabor, quæ tam egregiæ iuuentutis ſpei ac ſtudiis me admouit.



IVSTI

Digitized by Google

III.

IVSTI HENNINGII BOEHMERI
PROGRAMMA
DE
PHILOSOPHIA ICTORVM STOICA,

IN

REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA

PROPOSITVM,

OCCASIONE

LECTIONVM PRIVATARVM,

PER ÆSTATEM ANNI MDCCI.

HABENDARVM.

Digitized by Google

QVi ad iuriſprudentiæ noſtræ ſtudium accedunt, illudque interpretari annituntur, duas in claſſes generatim haud merito dividi poſſe videntur. Quidam enim levi brachio illud ipſum aggrediuntur, contenti, ſi ex aliorum ſcriptis & doctrinis ſapiant. Quidam vero rem ex ſuis propriis enucleare fontibus ſtudent, non tam reſpicientes, quidnam communiter tradi ſoleat, ſed ita ſe gerentes, ut legitimis interpretationis adhibitis regulis in fundamentum inquirant. Equidem in præſenti lætari poſſumus, quod inciderimus in eiusmodi tempora, ubi Doctores celebriores, claſſi ſecundæ ſeſe adſcribentes, indefeſſis laboribus eo rem perduxerunt, ut infinitis tenebris diſcuſſis ad lucem veritatis pervenire eo rectius jam poſſimus. Illud imprimis a pluribus jam obſervatum fuit, multum adjumenti afferre interpreti cognitionem variarum hypotheſium, ex quibus Jurisconſulti Romani concluſiones ſuas deduxerunt. Hoc enim conſtat, non eadem veteribus JCtis principia fuiſſe, quin, ſicuti in varias ſectas multi tranſierant, ita quoque diverſas hypotheſes ſæpe inter ſe foviſſe, & inde

de in oppoſitas ſæpe dilapſos fuiſſe concluſiones. In eo tamen magis inter ſe conveniebant, quod plerique JCtorum philoſophiam Stoicam excolerent, & inprimis, quantum ad moralia, principia inde peterent, quippe quæ non poterant non ethnicis arridere, id quod Schilterus, (*a*) aliique, jam oſtenderunt. Et quid opus eſt verbis, cum tam infinita exempla in jure noſtro occurrant, quæ meras concluſiones & hypotheſes ex hac philoſophia contineant, & inde unice genuinam ſuam recipiant interpretationem? Hujus obſervationis neglectus non poteſt non contortas explicationes parere, ſicut, quantas adhuc pepererit, res ipſa loquitur. Plerumque enim, ubi JCti ex ſingulari Stoicorum hypotheſi concluſiones formarunt, quæ cum Peripateticæ ſcholæ principiis ſubſiſtere nequeunt, mirifice ſe Doctores torſiſſe animadvertimus, quando ejusmodi leges ſecundum normam philoſophiæ Ariſtotelicæ, quæ unica tunc omnium fere occupaverat animos, enucleare, & veram diſſonantiam ad concordiam coactam & violentam deducere laborabant. Res ipſa exemplis fiet clarior. Intuentibus vel ſolum *tit.* 1. *in ff. de*

 juſt.

(*a*) *In Manud. Philoſoph. Moral. c.* 1. §. 5. *ſeqq.*

juſt. & jure, in ſingulis fere §§. ſeſe ſponte offerunt talia exempla, quæ unice ex philoſophia Stoica interpretanda ſunt. Ne jam aliquid moneam de derivatione juris, quam Vlpianus a juſtitia deducit more Stoico, obſervante Schiltero, (*b*) nam hoc leve eſt: tantummodo ad famoſam illam definitionem juris naturalis provocabo, ubi ſi commentarios evolvimus, in ejusmodi labyrinthum incidimus, unde egredi vix datur. Vident interpretes, vix commode illam definitionem poſſe defendi ex principiis philoſophiæ communis, qua imbuti ſunt, & tamen Stoicæ philoſophiæ principiis deſtituti fruſtra omnem movent lapidem, ut hanc ipſam ab abſurditate liberent. Convenit vero optime cum principiis Stoicis, quod nec diffitetur ipſe Huberus in digreſſionibus ſuis. (*c*) Duo ſcil. occurrunt in definitione hac conſideranda: 1.) quid intellexerint Stoici per *naturam?* 2.) cur animalibus jus naturale adſcripſerint? Quid per naturam intellexerint, explicat Stoicorum facile princeps Seneaca (*d*) inquiens: *Quid aliud eſt natura, quam Deus, & divina ratio, toti mundo & partibus ejus inſerta.* Ne-

(*b*) *cit. l.* §. 7. (*c*) *lib.* 1. *c.* 11. §. 2. (*d*) *IV. De Benef. c.* 7.

Digitized by Google

Neque plura hic ex Stoicis allegare opus eſſe cenſeo, cum jam ab aliis, ut Juſto Lipſio, (*e*) Excell. Dn. Buddeo, (*f*) id ipſum ad oculum demonſtratum. Deduxit ſimul nos illud Senecæ effatum ad cauſam ipſam, cur jus naturale adſcribi poſſit beſtiis. Nimirum divinam illam eſſentiam diffuſam per omnia corpora, & toti mundo inſertam eſſe cenſebant, diverſo modo tamen ſeſe exſerentem; aliter quidem in hominibus, aliter in beſtiis. Hinc non poterant non rationem adſcribere ipſis beſtiis, & ita jus naturale adjudicare eis, quod & ipſe Pufendorfius optime obſervavit. (*g*) Ex hoc fundamento collegerunt poſtea, homines inter ſe eſſe cognatos; quia unius animæ eſſent facti participes. (*h*) Florentinus Jureconſultus (*i*) idem inculcat, dum hominem homini inſidiari nefas eſſe concludit, quod *inter nos cognationem quandam natura*, i. e. DEVS, *conſtituerit*, quæ ſententia, ſano ſenſu accepta, admitti poteſt; ſed cum intimius fontem ejus, unde propullulaverit, indagemus, ſub veſte pulchra putidum latitat corpus, judice Dn. Bud-

(*e*) *Stoic. Phyſiol. lib. I. c. 5.* (*f*) *diſſert. 1. de Error. Stoic. §. 2. ſeqq.* (*g*) *lib. 2. c. 3. §. 2.* (*h*) Dn. Buddeus *c. l.* (*i*) *in l. 3. de J. & J.*

deo. (*k*) Neque tantum in hominibus & brutis hæc Stoicorum ſubſtitit aſſertio: toti mundo rationem divinam, ſeu ſpiritum divinum, vel mentem attribuerunt. Præter Senecam hoc teſtatur ipſe Zeno (*l*) aſſerens, Deum eſſe ſpiritum διήκον δι ὅλȣ τȣ̃ κόσμȣ. Haud a veritate me aberraturum puto, ſi dixerim, Paulum (*m*) huc reſpexiſſe, dum diſcernit illa, quæ ex diſtantibus corporibus ſunt, ab illis corporibus, quæ *uno ſpiritu* continentur. In qua ſententia quoque fuiſſe videtur Pomponius (*n*) tria genera corporum recenſendo, unum, quod *contra continetur uno ſpiritu*, *alterum*, *quod ex contingentibus conſtat*, *tertium*, *quod ex diſtantibus*.

De generatione, non naſci animas, ſed inſinuari in corpora, tradebant, teſte Lactantio, (*o*) h. e. non in utero concipi animam, ſed extrinſecus imprimi. Hinc fœtum in utero partem ipſius uteri eſſe, non animal, aſſerebant. (*p*) Non alienus ab hac ſententia fuiſſe videtur Vlpianus,

(*k*) *cit. loc.* (*l*) Juſt. Lipſ. *lib.* 1. *Phiſiolog. Stoic. cap.* 7. (*m*) *L.* 24. *§.* 5. *ff. d. rei Vind.* (*n*) *L.* 30. *ff. de Vſuc.* (*o*) *Lipſ. lib.* 3. *cap.* 18. (*p*) Lipſ. *cit. loc. lib.* 3. *diff.* 7.

nus, (*q*) inquiens: *partus, antequam edatur, mulieris portio eſt viſcerum*, & Papinianus (*r*) partum nondum editum *hominem non recte dici*, putat, & alio loco (*s*) Vlpian. talem *in rebus humanis non eſſe*, diſerte fatetur, interim tamen ita fingi. (*t*)

Sed revertimur ad *tit. ff. de J. J.* ubi deprehendimus definitionem juſtitiæ, quæ ſecundum Vlpianum (*u*) dicitur *conſtans & perpetua voluntas, jus ſuum cuique tribuendi.* Vultejus (x) hic deſcribi juſtitiam aliquam divinam autumat. Bachovius (y) intelligit juſtitiam in abſtracto conſideratam. Alii (z) defectus nonnullos in ea annotant,& quis omnes conglomeraret opiniones? Sed incertæ & fluctuantes ſunt plerorumque conjecturæ. Rectius hac in re ſe geſſiſſe videtur Adrianus Turnebus (*a*) aſſerens, Vlpianum hic fuiſſe æmulum Stoicorum, qui ut vitium in-

(*q*) *l.* 1. *§.* 1. *de inſpic. Vent.* (*r*) *l.* 9. *in f. ff. ad L. Falcid.* (*s*) *L.* 10. *§.* 1. *ff. de V. & P. ſubſt.* (*t*) *L.* 7. *pr. d. Ventr. in poſſ.* (*u*) *L.* 10. *pr. de J. & J.* (*x*) *ad pr. de J. & J. n.* 6. (*y*) *ad Tr. Vol.* 1. *d.* 1. *theſ.* 1. *lit. b.* (*z*) Rachel *diſp. de Juſtit. univerſali th.* 6. *ſeqq.* (*a*) *lib.* 8. *adverſ. c.* 20.

inconſtantia, ita virtutem conſtantia metiri ſolebant, videlicet *ſummum bonum in habitu virtutis* collocantes. Id aperte Cicero (*b*) fatetur, inquiens: *Zeno primus non virtutis uſum modo ut ſuperiores, ſed ipſum habitum per ſe eſſe præclarum, diſſeruit. Nec tamen virtutem cuiquam adeſſe, quin ea ſemper uteretur.* Evidentius Seneca: (*c*) *Summum bonum in ipſo judicio eſt, & habitu optimæ mentis*, & alibi: (*d*) *Beatum illud in uno loco poſitum eſt, in ipſa mente ſtabile grande tranquillum.* Vnde rurſus Cicero ex mente Stoicorum (*e*) virtutem ait eſſe *conſtantem & perpetuam* vitæ rationem, & alibi: (*f*) in ſolis virtutibus ineſſe ſcientiam *ſtabilem* atque *immutabilem* Suppoſuerunt vero porro, virtutes inter ſe nexas eſſe, (*g*) hinc unicuique virtuti neceſſario eandem formalem rationem attribuere debebant, præſertim quatuor *virtutibus cardinalibus*, quas tantopere urgebant, & in pretio habebant, inter quas quoque refertur *juſtitia.* Hinc neſcio,

(*b*) *lib.* 1. *Acad.* (*c*) *de Vita Beata cap.* 9. (*d*) *Epiſt.* 74. (*e*) *lib.* 1. *de LL.* (*f*) *lib.* 4. Acad. (*g*) Lipſ. *Manud. ad Philoſoph. Stoic. lib.* 3. *diſſert.* 4.

neſcio, an bene illi faciant, qui ex Ariſtotele hanc ipſam illuſtrare ſatagunt, cum hic (*b*) evidenter contrarium aſſerat, felicitatem ſcilicet *non in poſſeſſione ſed uſu virtutis, neque in habitu, ſed actione eſſe*, quo etiam Huberus (*i*) collineare videtur.

Deinde occurrit definitio *jurisprudentiæ*, (*k*) ubi rurſus variæ deprehenduntur difficultates, quomodo *jurisprudentia* poſſit dici *ſcientia & notitia*, quomodo *res divina* intrare poſſint objectum jurisprudentiæ? &c. Sed Stoici, & horum æmuli, Jureconſulti Romani, non ita ſeparabant prudentiam a ſcientia, uti Ariſtotelicæ philoſophiæ addicti. Evidenter id patet ex loco Plutarchi, quem refert Lipſius (*l*) ubi ita: *Quid eſt bonum? non aliud, quam prudentia. Quid prudentia? Non aliud, quam ſcientia.* Inde & Seneca: (*m*) *ſine ſcientia divinorum humanorumque beatum effici non poſſe*, aſſerit. Cum itaque juſtitiam finem jurisprudentiæ eſſe, intelligebant, illam vero

(*b*) *lib.* 1. *Ethic. c.* 8. (*i*) Huber. *præl. ad ff. de J. & J. §.* 1. *in fi.* (*k*) *in l.* 10. *§.* 1. *de J. & J.* (*l*) *Manud. ad Philoſ. Stoic. lib.* 3. *diſſ.* 3. (*m*) *Epiſt.* 74.

ro eſſe virtutem cognoſcebant, & per ſummum bonum indigitabant, ſimul quoque talem definitionem jurisprudentiæ efformabant, quæ huic fini, juſtitiæ, eſſet aptiſſima. Vnde & philoſophiam ſuam per humanarum & divinarum rerum ſcientiam definiebant, & ipſe Cicero (*n*) amicitiæ definitionem inde exſtruxiſſe videtur.

Ad alia jam tranſeundum eſſet, niſi brevitas, qua intercludor, inſtitutum prohiberet. Illud tamen ſaltim adhuc monebo, quod Vlpian. *in l. 9.* §. *7. de pecul.* aſſerit: *licere ſervis, naturaliter in corpus ſuum ſævire*, omnino dogma Stoicum ſupponere: fatentibus, Wiſſembachio (*o*) & Vngepauero. Αυτοχειρίαν enim ſecundum Stoicam philoſophiam fuiſſe licitam, (*p*) ipſe fatetur Huberus, (*q*) hanc legem alias defendens, & pluribus deducit Lipſius. (*r*) Quamvis vero Huberus reſpondeat, videndum eſſe, non quid Vlpianus ſentire potuerit, & quid veteres pagani exiſtimaverint, ſed, an hic locus etiam neceſſario contineat

(*n*) *de Amicit.* (*o*) *comment. ad tit. de Pecul. theſ.* 11. (*p*) *diſſ. de error. Juſtinian.* §. 23. (*q*) *in Eunomia ad cit. l. 9.* (*r*) *Manuduct. ad Phil. Stoic. lib. 3. diſſ. 22.*

neat approbationem αὐτοχειρίας? qua ratione tamen, ſi regulas bonæ interpretationis adhibere velimus, hic locus aliter intelligi poſſit, non video. Communiter quidem urgeri ſolet, leges non amplius eſſe conſiderandas ut Vlpianeas aut Paulinas, ſed ut Juſtinianeas, quod hic Imperator omnia ſua fecerit. Verum ita incidimus in Scyllam, dum volumus vitare Charybdim. Quomodo enim tales leges, quæ Stoica principia pro fundamento habent, ſecundum Imperatorem ſunt intelligendæ? Quærere enim licet, cuinam ſectæ fuerit addictus hic Imperator, an Stoicæ an Peripateticæ, an alii? Antequam enim id expeditum fuerit, ancipites hæremus, quomodo leges Paulinas, Vlpianianeas, aut aliorum Jureconſultorum, ſecundum Imperatoris mentem, quam divinare non poſſumus, interpretari valeamus.

Hæcce præfari placuit de Stoica veterum Jureconſultorum philoſophia, unde ſatis apparebit, plurimum ad genuinam explicationem legum Romanorum illa adminicula conducere. Et cum mens mea ſemper fuerit, eo annitendi, ut genuinum legum ſenſum in collegiis meis erverem; hinc

hinc etiam eadem methodus futuris quoque laboribus menſuram præbebit; de quibus ut eo rectius conſtet, non dubitavi, in præſenti ſeriem collegiorum, ex recepto in Academiis more, exponere, fretus cum benevolentia illuſtris Facultatis juridicæ, tum generoſiſſimorum ac nobiliſſimorum Dominorum Commilitonum favore &c.

EVER-

Digitized by Google

IV.

EVERARDI OTTONIS, JCTI,

DE

STOICA VETERVM JVRISCONSVLTORVM PHILOSOPHIA

ORATIO,

DICTA IN TEMPLO ACADEMICO MAIORE
A. D. IV. KAL. NOVEMBR. MDCCXIV.

Quum ordinariam Iuris Profeſſionem in Academia Regia Duisburgenſi ſolenni ritu auſpicaretur.

Digitized by Google

QVod bene vertat DEVS T. O. M. quodque celeberrimæ huic Academicæ, Vobis, mihi, reique tum publicæ tum litterariæ ſalutare ſit, lætus juxta ac tremebundus in cathedram hanc, virtutis & honoris ſedem, adſcendi, Juris docendi provinciam, Regiis codicillis clementiſſime mihi demandatam, ſuſcepturus. Neque enim me fugit, quot quantæque ſint cauſſæ, cur gaudio exſultem mihique gratuler, qui eadem hac die, quin eadem hora, qua Jurisconſulti nomen & inſignia ſum adeptus, in Ampliſſimum Profeſſorum Ordinem adſciſcor, munusque obtineo lautum ac honotificum, quod nec viri, ætate, ingenio, & rerum experimentis longe me vincentes, ſpreviſſent. Verecundans tamen in conſpectum veſtrum prodeo, vocem faucibus hærere, membra trepidare, nervos rigere, & auditis & cernitis. Num Templi hujus majeſtas mentem ita perturbet, an rei novitas, an vero tenuitatis meæ conſcientia artus hoc frigore concutiat, id equidem nunc non diſquiro; & ſi vel maxime id definire poſſem, fruſtra nunc damnem conſilium,

quod

Digitized by Google

quod mutare non libet, nec licet. Inertis ſubjecti erat, Regem vocantem non ſequi; neque vir fortis & ſtrenuus videbatur, qui laborem fugit, & luctatur cum officio, quod ſemel ſuſcepit, cum animus creſcat ipſa rerum difficultate. Illud in præſens magis curæ mihi habendum eſſe ſentio, ut argumentum auribus veſtris proponam, quod perſonæ, quam capeſſo, ſit aptum, quodque ſua dignitate meam verborum inopiam compenſet. Miles caſtra aut prœlia loquitur, rus & ſementem cogitat agricola: Jurisprudentia fundus eſt, quem jam decennium, & quod excurrit, colui; ex hoc frugum quidam manipulus recens mihi depromendus eſt, niſi de ſpe ac qualicunque opinione veſtra, ſtatim ſub initium, malo omine periclitari velim.

Ad primam vocem timidas advertitis aures,
Omnia principiis ſemper ineſſe ſolent.

Superiorum autem ſæculorum ea jam fuit felicitas, ut, exuta barbarie, & melioribus litteris velut poſtliminio reſtitutis, nubes, quæ Jurisprudentiam obſcurabant, pulſæ ſint omnes, tritaque ſatis via in ſecretiora ejus myſteria eatur. Sordet nunc plerisque fecunda & perbeata Accurſii familia, retuſum

 eſt

eſt Baldi acumen,& Decii ſubtilitas, pariter ac Butrigarii matura oratio, ridetur. Ipſa hæc Academia, quæ maſculæ ſemper Jurisprudentiæ fuit ſacrarium, ſedula illa legum mater & nutrix; hic ipſe, quem occupavi, ſuggeſtus nil niſi ingenio perfectum, elaboratum induſtria & gravitate inſigne admittere videntur. Tot artis noſtræ Proceres, eloquentiæ non minus quam juris conſultos, Weyerſtraſſios, Fuchſios, Maſtrichtios, Cruſios, Branditos, Pagenſtecheros, Reinoldos &, quem præſentia nominare vetat, Virum Conſultiſſimum, ex his ſacratis pulpitis de juris apicibus verba ad Vos facientes audiviſtis: a quorum varia eruditione quo longius abſum, eo magis mihi annitendum duco, ne mea infantia & incondito ſermone pulcher hujus loci Genius profanetur.

Quid igitur? Ne diu Vos ſuſpenſos detineam, *De Stoica Veterum Juriſconſultorum Philoſophia* ſermonis mei argumentum elegi, non injucundum, opinor, nec inutile, nec ſatis adhuc, ut oportebat, pertractatum. Quis enim Veſtrum ſumma cum voluptate non aveat percipere, cui Philoſophorum ſectæ Juris noſtri Auctores fuerint addicti, qui ſuis laboribus, vigiliis & curis ſibi perennem gloriam, nobis otium, ſomnum & quietem pe-

pepererunt? Juvat noſſe, quibus præceptoribus uſi fuerint Hiſtorici & Poëtæ, & quanti noſtra intereſt, ſcire, ad quam potiſſimum ſcholam ingenium appulerint Juriſconſulti, quorum pretioſa fragmenta non noſtræ modo Germaniæ, ſed totius terrarum orbis, oracula habentur. Nullus in horum explicatione, jam usque ab Alciato & Budæo, cum laude eſt verſatus, qui non ab Hiſtoria & Antiquitatibus, qua Græcis qua Latinis, lucem iverit mutuatum; & in amœno hoc ſtudiorum genere noſtra ætate excellit non unus. Ea vero fundi noſtri ab antiquo ſupereſt calamitas, ut in ſcholis negligatur Philoſophia, ſaltem illa, qua Veteres Juriſconſulti uſi ſunt, ſine cujus tamen peritia jus civile nec diſci nec recte doceri poteſt. Jubet Comicus *(a)* nos in vitas hominum, tanquam in ſpeculum, inſpicere, & ex aliis nobis exemplum ſumere, ſi quid recte factum, ſi quid laudi fuit, hoc imitari. Hinc autem Themidis alumni veteres diſcent affectari magiſtros, quibus nihil unquam in vita carius fuit, quam Philoſophia moralis; quique non a legibus Decemviralibus, nec ab Edicto Prætoris, ſed ab intima Philoſophia, inchoandam

(a) *Adelph. Act. III. ſc.* 4.

andam eſſe Juris diſciplinam, putarunt. Habebunt hic etiam Juris Studioſi adultiores, Prolytæ & Papinianiſtæ, unde veros legum ſenſus eruant, & tot cruces tollant, ab ignaris priſcæ ſapientiæ collocatas. Quid? quod ipſi Philoſophiæ Doctores, lucifugi & veſpertiliones, ſic tandem ſapere incipient, qui deſidioſa nunc facilitate & fallaci lenocinio veteres Philoſophos e manibus juvenum excuſſos volunt, ut novas ſuas merces, metaphyſicas puta nugas, & luxuriantis ingenii argutias, majori pretio venditare queant. Adeo enim a recta via inſtitutio nunc aberravit, ut, ſi Lucianus reviviſceret, non uno, ſed multis Hermotimis opus foret. Novas quilibet ſibi condit artes, antiquas, quo quis eſt indoctior, eo magis contemnit; ut, ſi Diis placet, eas ſupprimere, & licentiæ ſuæ velamina ex vaga Philoſophia prætendere poſſit. In Platone legendo quod impenditur tempus, falli, fruſtraq; conteri, putamus: Stoicorum ſecta omnium ſuffragiis, tanquam moroſa, aſpera & auſtera, eſt damnata: Zenonem, Chryſippum & Poſidonium piſcis aut edulii peregrini nomina arbitramur. Vni tantum Stagiritæ, qui ſapientum numero inter nos habentur, adhæreſcunt, & ex ejus Ethicorum libris Juriſconſultorum ſenten-

tias explicare ſatagunt: quam contortæ autem inde naſcantur interpretationes, quot loca tranquilla & perſpicua inde turbentur, vetus querela eſt; & tamen ſtudium iſtud ita omnium animis inhæſit, & tam altas in Scholis radices egit, ut qui illud mentibus & pulpitis eximere tentet, is vel Jovi fulmen, vel Herculi clavam, extorquere conetur.

Redivivæ autem Juriſprudentiæ parens, Jacobus Cujacius, jam dudum in divinis Obſervationum libris (*b*) plus uno teſtimonio docuit, ab Stoicis juris auctores noſtros fere eſſe imbutos: pluribus id confirmavit Edmundus Merillius, Galliæ itidem ſuæ decus (*c*). & M. Aurelius Galvanus (*d*) librum ſingularem de Stoica Juriſprudentia veterum Romanorum affectum habuit, qui vel ob immaturam ejus mortem abſolutus non eſt, aut certe cum tineis & blattis luctatur. Tantum vero abeſt, ut præclarum hoc inventum multos ſui invenerit æſtimatores, uti potius a Viris, etiam hilarioris famæ, fuerit neglectum, multoque cachinno exceptum. Hos inter familiam ducens Paganinus Gauden-

(*b*) *Lib. XXVI. cap.* 40. (*c*) *Lib. I. Obſervat. cap.* 8. *& ſeqq.* (*d*) Vide ejus librum *de Uſufr. cap.* 1. §. 1.

tius, (*e*) Piſis quondam Hiſtoriarum & Politices Profeſſor celeberrimus, eos peccare clamitat, qui Jurisprudentes ad Stoicam doctrinam confluxiſſe, ejusque decretis aluiſſe artem ſuam, contendunt: quandoquidem multa in Zenonis Stoa proferantur, quæ leges evertunt, & rationi civili parum ſunt idonea. Huic igitur, quantum ingenio & voce potero, tribus argumentis occurrere animus eſt; ita quidem, ut primo loco primos quosque & maxime celebres Romæ Philoſophos e Porticu prodiiſſe oſtendam: dein non aliam magis, quam Stoicam diſciplinam Jurisconſultorum ſtudiis fuiſſe accomodatam, & poſtremo plerorumque horum reſponſa Stoicæ familiæ placitis reſpondere.

Per tria hæc Orationis capita dum ordine feſtinabundus eo, ne quæſo, Auditores, mellitos verborum globulos, aut verba ſeſamo & papavere ſparſa, ab me exſpectetis. Stoicorum dogmata vobis expoſiturus ſum, hi autem ſimplici ſtilo contenti verborum pompam, troporumque venuſtatem, tanquam damnoſam & generi humano noxiam, aſpernabantur. Moribus etiam nunc obtinet, ut a Jurisconſultis eloquentiæ lumina

non

(*d*) *De Philoſophia apud Romanos cap.* 43.

non admodum flagitemus, modo res bonas proferant ac cognitu dignas. Quare vehementer Vos oro, ut mentes atque aures placidas præbeatis, dum meas vobis rationes expoſuero.

Qui ad urbem vel portum contendunt peregrinantes, non una via, nec una ratione, iter inſtituere ſolent. Alii navibus proficiſcuntur, per regiones & agros iter faciunt alii: illi vel oram legunt, vel per altum vehuntur; hi aut publicis utuntur viis, aut calles & viarum compendia quærunt: rurſus alii per florida prata & oras amoenas, alii per dura & aſpera multo cum labore & moleſtia, incedunt. Sic etiam ad Sapientiæ arcem qui adſpirarunt, Græci & Romani, non unum vitæ genus, nec unam diſciplinam, tenuere. Vna quidem eſt Philoſophia, una veritas: ſed ambitio, quæſtus, & naturalis illa hominum ad diſſentiendum facilitas, in tot factiones, ſtudia, & opiniones diverſas ejus cultores diviſit, ut inter horologia facilius, quam inter Philoſophos ſemper convenerit, & veriſſimum ſit, quod ille ait: Nihil unquam ægrum ſomniaſſe, quod non Sophorum aliquis crediderit, aut docuerit alios. Marcus Terentius Varro (*f*) ſubtili inveſtigatione jam ſua

(*f*) Apud Auguſt. *lib. IX. de Civ. Dei cap.* 1.

ætate animadvertit, ad ducentas octo & octoginta ſectas facillime perveniri poſſe. Hippobotus in libro de ſectis novem numeravit, Ammonius ſeptem. Quatuor autem in primis: Academica, Peripatetica, Stoica & Epicurea, ab antiquo fuerunt celebratæ, quæ in ſuis ſapientiæ officinis mentes hominum ad propria decreta, ſive ſingularum dogmata ſcholarum contraxerunt. Ad harum auctores & principes omnis ſenſim poteſtas doctrinarum delata eſt, nec tam rectæ rationi, quam interpretandæ, colorandæ, ſæpe etiam convitiis vindicandæ, cujusque Doctorum ſententiæ, fuit incubatum. Cum itaque de Philoſophia Juriſconſultorum apud Romanos quærimus, ante omnia ſectam, quæ primum in Vrbe caput extulit, quæ plurimum ibi valuit, quæque formæ & ingenio Reipublicæ fuit convenientior, inveſtigemus oportet.

Nemo veſtrum neſcit, militarem fuiſſe Rempubl. Romanam, cui nil magis in votis, quam fines Vrbis propagare, vicinos, remotos, hoſtes atque amicos bello laceſſere, & per totum terrarum orbem victricia arma circumferre. Sero hac propter, & non niſi per gradus, Philoſophiæ cultus ad eam eſt admiſſus. Plane ſub Regibus hunc qui quæſierit, is fruſtra erit. Romulus quidem & Re-

mus

mus omni liberali diſciplina Gabiis erant inſtituti: Numa Pompilius ſapientiæ laude claruit: Servius Tullius quinquaginta de contractibus & delictis rogavit leges, e Philoſophiæ fontibus petitas. At apud populum nullus ſtudiis, nullus otio Philoſophico erat locus: ruſtici, paſtores, perditi ac facinoroſi ad Aſylum confugientes, quemadmodum inter arma & ferrum erant nati, ſic ad ſubita belli externi & inteſtini excubabant. Tarquinio Superbo regnante Pythagoræ diſciplina per eam Italiæ partem, quæ Græcia Magna dicta eſt, excelluit, & haud vana conjectura in Vrbem vicinam penetravit: verum Patricius dum opprimit plebem, dum plebs ſecedit, & ſacroſanctos ſibi Magiſtratus creat, dum fames & peſtilentia graſſantur, ampliſſima hæc bene vivendi diſciplina actis radicibus hærere non potuit. Mars & horrida virtus omnia obtinebant. Trecenteſimo dein poſt Vrbem conditam anno Decemvirales leges, auctore Hermodoro Philoſopho, de lare Solonis, Lycurgi & præſtantiſſimorum quorumvis Sapientum, petitæ, & in tabulis eboreis pro Roſtris propoſitæ ſunt, quæ propter ſuam æquitatem & auctoritatis pondus, non univerſam modo ſapientiam continere, ſed omnium Philoſophorum bibliothecas

thecas ſuperare videbantur. Neque tamen per has Philoſophiæ ſimul præcepta innotuerunt Romanis: fontes acceperant & ſemina omnis publici & privati juris: at uſum illius & rationem, qua quisque jus ſuum perſequeretur, ignorabant. Livius & Dionyſius tabernas tantum hac ætate memorant, in quibus Grammatiſtæ legere & ſcribere, non ultra docuerunt. Viderat Vrbs jam ante, fateor, multos cives gloria præſtantes, quos e numero Philoſophorum expungere nefas: at vita illi, non ſcriptis, factis, non dictis, moribus, non ſermonibus, ſunt philoſophati. Juſtitiam, fidem, pietatem & omnem denique virtutem, coluerunt Horatii, Scævolæ, Cincinnati, Camilli, Curii & Fabricii; jacuit tamen Philoſophia, nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum. (*g*)

Tempori, quod eſt circa bellum Punicum ſecundum, felicitas illa tribuenda, qua lux totum mox illuſtratura orbem Romæ exorta eſt. Diſcedebant tum paullatim Quirites

(*g*) Cicero *lib. I. Tuſcul. Quæſt. cap.* 3. & *lib. IV. Tuſc. cap.* 2. ubi *Sapientiæ*, inquit, *ſtudium vetus id quidem in noſtris: ſed tamen ante Lælii ætatem & Scipionis non reperio, quos appellare poſſim nominatim.*

rites ab aſperitate vitæ militaris, atque ideo ſapientiæ ſtudia, apud Græcos vel propter bellorum tumultus repudiata & contemta, vel ſenio ipſa ſuo confecta, ſuſcipiebant, colebant, & faciebant meliora. Livius poëta primus tunc fabulam docere incipiebat, Ennius centurio in utraque lingua erat evectus, Nævius nunc fundebat verſus, nunc etiam primi Philoſophi videbantur. Occaſio erat iſthæc: Miſerant Athenienſes ad Senatum de ſuis maximis rebus tres illius ætatis nobiliſſimos, Carneadem Academicum, Critolaum Peripateticum, & Diogenem Stoicum: qui, cum in ſcholis ab ſe excitatis de finibus boni & mali diſputarent, facile adoleſcentes gravitate ſua, & rerum utiliſſimarum doctrina, ad ſe alliciebant. (*h*) Cato Cenſorius, vehementi ingenio vir, & Græcæ diſciplinæ oſor, præter morem legatorum id factum notans, tum quidem ſtatuebat, honeſtatis ſpecie univerſos Philoſophos Roma dimittendos eſſe; ut ne ad humanitatem converſa juventus parvi penderet rei militaris diſciplinam: ſed revera metuebat, ne horum eloquentia, liberisq; vocibus, arcana ſua provulgarentur. (*i*) Neque etiam horrendi hæc carmi-

(*h*) Cicero *II. de Oratore cap.* 37. (*i*) Plutarch. *ejus vita cap.* 45.

minis lex ſapientiæ amorem in animis juvenum extinguere valuit, immo potius novitatis avidos ad peregrina iſthæc, & moribus apta, & auditu miranda, incendit. Vt adoleſcentum quisque erat nobilior, ita eruditiorem e Græcia hominem palam ſecum habebat.

Omnium autem conſenſu Panætius, Stoicorum princeps, (ut Ciceroni vocatur) (*l*) primus fuit, qui Romæ publice Philoſophiam docuit. Hic, quia omnem verborum triſtitiam & aſperitatem fugiebat, nec differendi ſpinas probabat, multos auditores nactus eſt, C. Lælium, Scipionem Africanum, Rutilium Rufum, Ælium Tuberonem, (*m*) principes tum juventutis, ſed poſtea magnos imperatores, magnos Jurisconſultos, domi militiæque nobilitatos. Quanta dein Stoicæ Philoſophiæ ab horum ſententiis auctoritas acceſſerit, illi facile colligent, qui in Procerum vo-

(*l*) Lib. IV. Acad. Quæſt. cap. 33. *Panætius princeps prope meo quidem judicio Stoicorum.* & lib. II. de Off. cap. 14. *Quod ſcribere non auderem, niſi idem placeret graviſſimo Stoicorum Panætio.* (*m*) Pompon. l. 2. §. 40. de Origin. jur. *Quintus Tubero ille Stoicus, Panætii auditor.* ita enim legendum eſſe, non *Panſa*, H. Cagnolius & alii jam monuerunt.

voluntate ſcenam reip. cum orcheſtra, cum ordinibus, cum cavea cuneisque verſari, ſciunt. Quotusquisque ab hoc tempore eminere volebat, is Stoicum ſibi quærebat præceptorem, comitem & familiarem: quin etiam domi ex hac ſecta magiſtros habuiſſe non contenti, quo magis firmarentur, ad alias terras, ad alias regiones & inſulas ſeſe contulere multi, etiam viri maximi, rempublicam ſuſtinentes; ut hic novum Pythagoram Memphiticos vates, ibi Platonem Ægyptios ſacerdotes, rurſus Apollonium Brachmanas & Gymnoſophiſtas, conſulere putes. Cneus Pompejus, unus ex præcipuis ſui ævi viris, ille, quem Sylla magnum, Cicero Virum ad omnia ſumma natum, appellavit, ut Panætii diſcipulum Poſidonium videret, Rhodum profectus eſt, cumque ad limina acceſſiſſet, percuti de more fores a lictore vetuit, & faſces januæ ſubmiſit, is, cui ſe Oriens & Occidens ſubmiſerat. (*n*) Pompejo major Cato Vticenſis ſimiliter ad Athenodorum, Stoicæ diſciplinæ hominem, in Aſiam adiit, effecitque, ut ſe in caſtra ſequeretur; lætus atque gloriabundus, velut ingentem adeptus palmam, & multo clariorem, quam illi,

(*n*) Tull. *II. Tuſcul* 25. Strabo *lib. XI. p.* 492.

illi, qui tum univerſi orbis nationes & reges ſubigebant. (o) Singulos quid referam ſub libera republica in Zenonis familiam transſcriptos? Ipſius Senatus tantus in eam fuit affectus, ut Cleanthi, majorum gentium Stoico, egregiam Aſſi ſtatuam dedicarit, quam ſe vidiſſe teſtatur Simplicius. (p) Et quid multis opus? Seneca (q) ſignanter Lucilium ſuum meminiſſe jubet, antiquos Romanos, qui cuique hominum Genium dedere, Stoicos fuiſſe.

Ex quo ſub unius dominatum rerum ſumma pervenit, idem, ſi non major, Stoicis conſtitit honos. Julianus (r) & Zoſimus (ſ) teſtantur, mitius Auguſti imperium fuiſſe, quod ab Athenodoro erat inſtitutus, quodque Arium inter amicos aſſumſerat; uterque autem Stoicam diſciplinam amplectebatur. Nero Seneca rectore uſus eſt, (t) & optimus fuit, quamdiu hujus conſiliis monitisque ſe dedit: is vero Attalum Stoicum, & Sotionem ejusdem ſectæ, magiſtros ſuos

(o) Plinius *l. VII. Hiſt. Nat. c.* 30. (p) *comment. ult. in Epictetum.* (q) Epiſt. 100. *Ita tamen hoc ſeponas volo, ut memineris majores noſtros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe.* (r) *in Cæſaribus pag.* 326. (ſ) *Lib. I. cap.* 6. (t) Tacit. *lib. XIII. Annal. cap.* 2.

ſuos laudat nominatim. Marcus denique Antonius, ne ceteros requiram, ob Stoicæ Philoſophiæ ſtudium, ab aliis Philoſophi, a Juſtiniano (*u*) Philoſophiſſimi cognomen meruit, &, quam ſemper in ore habuit, Platonis ſententiam: Tum demum beatas fore reſpublicas, cum aut Philoſophi regnarent, aut reges philoſopharentur, ſuo exemplo confirmavit. Quod ſi ergo nil magis humana pectora flectit, quam exempla regentum, quis dubitet, omnes aut plerosque, qui ſub his Principibus Philoſophiæ operam dederunt, per Zenonis & Chryſippi veſtigia iviſſe? Sub Antonino certe Sextus Empiricus (*x*) aſſerit, plures fuiſſe, qui Stoicam ſectam ſequerentur, quam aliam quamcunque. De ceteris idem habendum. Lautis enim ſtipendiis inde ab Auguſto honorabantur ſapientiæ magiſtri; unde novæ in urbe exſurgebant porticus; e quibus viri juſtiſſimi, optimi cives, judices æquiſſimi, teſtes religioſiſſimi, verbo dicam, tot Catones prodibant. Ex his nobilitas magiſtratus, plebs patronos, pietas vindices, lex cuſtodes ſibi popoſcit & rogavit. Hi in foro, in aula, in Senatu ubi-

(*u*) *l. ult. C. de repud. l. pen. C. de his quibus ut ind. Nov.* 22. *c.* 19. (*x*) *lib.* 1. *de philoſ.*

que primas obtinebant. Per ſingulas ætates hos indicare poſſem, niſi fabulam narrarem omnibus notam & pervulgatam: Hiſtorici, Poëtæ, marmora, & omnis vetuſtas eos loquuntur. Nec eſt, ut tantum numerum a nobis quis depoſcat; plerique Romanorum a Græcis diſciplinis abhorrebant, & vel ad ſtudia rei militaris converſi, vel in petendis honoribus & civibus prenſandis occupati, philoſophandi curam libertis & Græculis eſurientibus relinquebant, cum irriſione dicentes: (y)

-- Quod ſapio, ſatis eſt mihi: non ego curo
Eſſe quod Arceſilas ærumnoſique Solones.

At non fato quodam, ſed certa ratione Stoicos magis placuiſſe Romuli nepotibus, ut conſtet, age, oculo fugitivo illorum perluſtremus decreta. Næ! quam ſancta illa, quam recta, quam fortia: dixeris, nonnunquam hos homines ſacras litteras attigiſſe, aut degu-

(y) Perſius *Sat. III.* Adde Tacitum in vita Agricolæ cap. IV. *Memoria teneo, ſolitum ipſum narrare, ſe in prima juventa ſtudium philoſophiæ ac juris ultra, quam conceſſum Romano ac Senatori, hauſiſſe: ni prudentia matris incenſum ac flagrantem animum coërcuiſſet.*

Digitized by Google

deguſtaſſe. (z) Tam enixe pietatem ubivis, caritatem, humanitatem, bonitatem & omnes virtutes inculcant; nec alia magis ſecta Deo majeſtatem ſuam adſeruit, & homines ad æterna illa traxit magis. Venenum occultant, ſcio, pulcherrima etiam eorum effata: at quid mirum hoc in hominibus, veræ religionis ignaris? Sufficit, eos eximia & prope divina virtutis præcepta natura duce dediſſe, quæ nobis quoque capitalem culpam, & neglectum cogniti ſummi boni, exprobrare poſſunt. Vnum unum immenſi hujus operis credebant opificem ac molitorem: hunc ſolum rerum humanarum curam gerere, ſuaque providentia ſingulis ad vitæ commoda adeſſe. Non auro, nec argento hujus imaginem fingi; pia & recta voluntate, non opimis taurorum corporibus contrucidatis, hunc eſſe colendum, ad omnia invocandum, per omnia cogitandum, in omnibus comprobandum. Huic ſanctiore quemvis ſacramento, quam militem Imperatori

(z) Clemens Alexandrinus lib. II. Stromat. eos ideo *fures Hebraicæ veritatis* vocat, & Hieronymus in Eſaiam comment. cap. II. *Stoici,* inquit, *cum noſtro dogmate in pleriſque concordant.*

eſſe obſtrictum. Huic, ceu provido parenti, quocunque ducere viſum fuerit, citra tergiverſationem eſſe obſequendum: invadant licet undique calamitates, denuncietur mors; infundatur venenum, corpus excarnicetur, debilitetur, obrigeſcat, & ſi quid talium malorum gravius edici aut excogitari poteſt. Id qui fecerit, eum ſecurum, malique metu immunem vivere, nec fieri poſſe, ut ſorte beata excidat unquam. (*a*)

Cuivis præterea hominum a natura tributum ajebant, ut ſe vitam corpusque tueatur, ac omnia, quæ ad vivendum ſunt neceſſaria, conquirat & paret: ita tamen, ne mentis, partis nobiliſſimæ, a Jove divulſæ, (*b*) obliviſcatur. Hanc vitæ gubernatricem ſumma ope eſſe excolendam, quo arati inſtar, novati ac iterati agri, meliores ac grandiores fructus proferre queat. Aureum illud, quod e cœ-

(*a*) In compendium hæc decreta miſit Thomas Gatakerus in præloqu. ad Antonium. (*b*) Ita Marcus *lib. V.* §. 27. & Epictetus *diſſert. I. cap.* 14. Seneca animam *divini ſpiritus partem ac veluti ſcintillam* quantam vocat *epiſt.* 92. nam diffuſam per omnia corpora eſſentiam divinam, in hominibus animi munere fungi, credebant. Vide Ioh. Franciſc. Buddeum V. C. *de error. Stoic. Exercit.* 1. §. 2.

Digitized by Google

e cœlo deſcendiſſe fertur, paucis ſatis animadverſum, ſuisque ponderibus expenſum ΓΝΩΤΙ ΣΕ ΑΥΤΟΝ, (c) tanquam primum Philoſophiæ ſuæ principium, commendabant: quo ſane nihil excellentius, nihil ſalutarius, nihil ad vitæ rationem accomodatius, excogitari poterat. Qui enim ſecum habitat, is ſuo ſe modulo metitur, nec plus promittit de facultatibus ſuis, quam in iis eſt; idem etiam, dum ſentit, quanta habeat rerum gerendarum inſtrumenta, nil niſi magnum quiddam & excellens conatur, nec conquieſcit unquam, donec divina & humana cognoſcat, ac tenor vitæ per omnia conſonans ſibi accedat.

Non minus præclare de officiis erga congeneres ſentiebant; mundum hunc omnem ut unam ſpectantes domum, in qua non tantum inter cives, ſed & exteros & homines quosvis, cognatio intercedat. Hanc naſci a prima ſtirpe & ſatu parentum, ſerpere dein foras, primum cognationibus, poſt affinitatibus, tum amicitiis, dein civitatibus, & tandem complexu totius generis humani.

O 3 Omnes

(c) Seneca conſolat. ad Marciam cap. XI. *Hoc jubet illa Pythicis oraculis adſcripta vox NOSCE TE.*

Digitized by Google

Omnes uno e ſemine cœleſti ortos, ut fratres & amicos diligendos eſſe; ſervi liberique ſint, ingenui an libertini, juſtæ libertatis, an inter amicos datæ, nil quicquam referre. In commune genitum hominem, animal ſociale; ut cunctis pro viribus benevolum & facilem ſe exhibeat, naufrago ut porrigat manus, viam erranti monſtret, cum eſuriente panem ſuum dividat, cum ſitiente potum. Hæc & alia de officiis erga ſe ipſum, & erga alios, docuere Porticenſes: hæc factis etiam conſentaneis ſignarunt Zenon, Epictetus, Antoninus, & (*d*)

- - Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, ſervare modum, finemque tenere,
Naturamque ſequi, patriæque impendere vitam;
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.
Huic epulæ, viciſſe famem: magnique penates,
Submoviſſe hiemem tecto: pretioſaque veſtis,
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis

Indu-

(*d*) Ita Lucanus itidem Stoicus *lib. II. v.* 380.

Induxiſſe togam: Venerisque huic maximus uſus,
Progenies; Urbi pater eſt: Urbique maritus:
Iuſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti:
In commune bonus: nullosque Catonis in actus
Subrepſit, partemque tulit ſibi nata voluptas.

Sed miſſis his ſanctioribus decretis, alia potius videamus, quæ Romanos rerum dominos ad hanc ſectam pertrahere poterant. Illam reipublicæ formam, quæ e populari dominatu & optimorum potentia eſt miſta, optimam judicabant Quirites, jurati principatus oſores, regiumque nomen odio internecino proſequentes. Neque enim populus ille, dominus regum, victor atque imperator nationum omnium, ſub unius hominis dominatum ſubigi, & effrenem tyranni licentiam ferre volebat; ſatis memor, Servium Tullium leges tuliſſe, queis etiam reges obtemperarent. Idem vero Stoicorum erat robur, (*e*) niſi quod nimium, & arroganti ratio-

(*e*) Tigellinus apud Tacitum lib. XVI. Ann. c. 22. *Iſta ſecta Tuberones & Favonios, veteri quoque Reip. ingrata nomina, genuit. Ut impe-*

ratione ſuffultum. Omnes eſſe pares, omnes ad regnandum natos. Superba principum limina adorare, fores circumſiſtere, genua invadere, Dei cognatos minime decere. Salus populi ſuprema iis lex erat: Reges contra, non impios tantum & truculentos, Cyclopas, Buſirides, Dionyſios, Lyſandros, Nerones, Caligulas: ſed & bonos, patriæ patres, Cyros, Ageſilaos, Auguſtos, Nervas, Trajanos, procaci licentia perſtringebant. Chryſippus, qui Porticum fulcire dicebatur, (*f*) ſeptingenta & quinque volumina ſcripſit, nulli tamen Regum quidquam dedicavit, quia eorum contemtor erat. Prorſus in eadem ſententia Cato: qui ſolus fecit Reip. partes, cum alii ad Cæſarem, alii ad Pompejum inclinarent, quique rebus jam deſperatis gladio ſanctum illud pectus perfodere, quam morientem libertatem vivus videre, [illegible] maluit.

rium eventum, libertatem præferunt: ſi pervenerint, libertatem ipſam aggrediuntur. Suetonius Neron. c. 52. *A Philoſophia* (Stoica, quam Seneca docturus) *eum mater avertit: monens, imperaturo contrariam.*

(*f*) Cicero IV. Acad. quæſt. 24. *Stoica princeps Philoſophiæ* vocatur a Gellio lib. VI. cap. 2. & *Philoſophus ſumma Stoicæ ſapientia* a Marciano in *l.* 2. *D. de legibus.*

Digitized by Google

maluit. Jam autem Antiſtius Labeo, ex eadem ſchola Philoſophus, quanta audacia obſtitit Auguſto, laudatiſſimo principi? M. Lepidum, hoſtem ejus & tum exulantem, cum in Senatum legiſſet, interrogatus a Cæſare, an non eſſent alii digniores? *Suum quemque judicium habere*, reſpondit. (*g*) Cumque Senatui videbatur e Rep. eſſe, ut Auguſtum ſinguli Senatores per ordinem cuſtodirent, ille: Excubitorem ſe nunquam fuiſſe, &, quia ſtertens ronchos duceret, excubiis pro Auguſto agendis ineptum. (*h*) Inanis quidem tum & intempeſtiva hæc erat libertatis jactatio, tanto Juriſconſulto indigna; ſed moribus iſtis creverat res Romana, & ipſe Auguſtus, quo magis eadem principia imbiberat, eo clementius omnem iram remiſit. Qui poſthinc vixerunt Stoici, calidum illud

O 5 &

(*g*) Suetonius *in Auguſt. c.* 54. (*h*) Dio Caſſius Hiſt. Rom. lib. LIV. ad ann. 739. De eodem Capito apud Gellium lib. XIII. cap. 12. *Agitabat*, inquit, *hominem libertas quædam nimia atque vecors, usque eo, ut Divo Auguſto jam principe & rempublicam obtinente, ratum tamen penſumque nihl haberet, niſi quod juſtum ſanctumque eſſe in Romanis antiquitatibus legiſſet.* Horatius *lib. I. ſat.* 3. *v.* 82. ideo: *Labeone inſanior inter Sanos dicatur.*

& impotens libertatis ſtudium prudenti conſilio temperarunt, cum Tacito (*i*) credentes, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos eſſe viros, obſequiumque ac modeſtiam, ſi induſtria ac vigor adſint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, ſed in nullum Reipublicæ uſum, ambitioſa morte inclaruerunt.

Præterea optime noverant Romani, non muros & propugnacula perinde firma imperii ſui munimenta eſſe, quam multitudo liberorum. (*l*) Militem ſibi legendum domeſticum, qui loca ſedesque patrias revereatur, nec fortitudinem magis quam fidem colat: externis auxiliis credi non poſſe, coire purgamenta urbium, ſtupidos imbelles, venalesque manus; quibus ibi fas, ubi maxima merces. Quamobrem conjugiorum ſobolisque habendam curam; cœlibatum pœnis coercendum, numerum liberorum præmiis eſſe provocandum. Hinc ſollennis illa Cenſorum quæſtio: *Ex animi tui ſententia. Tu uxorem habes?* Hinc lex conficta Ciceroni: *Cœlibes eſſe probibento.* Hinc Metelli Numidici oratio (*m*) de prole augenda, quam Au-

(*i*) *in Agric. cap.* 42. (*l*) Vide *l.* 1. *D. ſolut. matr. l.* 64. *de condit. & dem. l.* 7. §. 3. *de bonis damnat.* (*m*) Liv. *epit. lib.* 59. Sueton. *Aug. cap.* 84. Gellius *lib.* 1. *cap.* 6.

Auguſtus Cæſar, quum de maritandis ordinibus ageret, in Senatu recitavit. Nota eſt lex illa Julia & Papia Poppæa, quæ cœlibes & orbos pœnis, maritos & patres præmiis, affecit, lex illa inquam marita, quæ crebritati divortiorum modum, concubinatui nomen impoſuit, eosque per Prætorem coercendos ſtatuit, qui nuptias contrahere prohibuerint, aut dotem negaverint; ut his artificiis nuptiarum dies protraheretur. Non alii autem ſectæ tanta matrimoniorum cura, quam quidem noſtræ: ab ipſa natura id tributum ajebant, ut conjugia virorum & uxorum conjuncta eſſe deberent; cum unumquodque animal, ferum etiam, eo deſiderio teneatur, quale ipſum eſt, tale alterum relinquendi. (*n*)

Neque vero ſola procreatione contenti he-

(*n*) Ad rem Julianus Imp. orat. VI. p. m. 185. *Citienſis Zenonis diſcipuli cum animadverterent, urbes meram illam nimiamque canis, id eſt Cynica ſecta, libertatem averſari, quibusdam illam integumentis involucrisque texerunt; nimirum rei domeſtica cura, opum comparandarum ſtudio, uxoris contubernio, ac prolis educatione. Quod eo animo feciſſe videntur, ut hoc Philoſophia genus proxime ad civitatum cuſtodiam pertineret.* Adde Vlpianum Stoicum in *l. 1. §. 3. D. de J. & J.*

heroës noſtri, curam quoque procreatorum parentibus injunxerunt: quin liberis bene curatis & adultis bellicæ gloriæ commendabant ſtudium, Macte hac virtute eſto! ſanguinolentis in acie acclamantes. Vlyſſem & Herculem ſectæ ſuæ laudabant patronos ac deos tutelares. Dulce & decorum iis erat, pro patria mori: caros eſſe parentes, caros liberos, propinquos, familiares: ſed omnes omnium caritates patriam complecti; pro qua omnibus mortem eſſe oppetendam, ſi ei ſint profuturi. *(o)* Præclara hæc coram vulgo fundebant verba, at, ſi rem curatius examines, cum pia fraude conjuncta. Totus mundus iis patria erat, omnes ubivis gentium cognatos & amicos ſibi profitebantur: jam autem, qui fieri poteſt, ut patriæ commoda, alterius civitatis aut gentis non ſint incommoda? qui patriæ fines proferre nititur, alios ſpoliet, occidat, juſtitiam & humani generis ſocietatem tollat oportet. Et, dic ſodes, adeone pulchrum eſt, pro gleba mori, in

qua

(o) Cic. *III. de offic.* Stobæus *Eclog.* 37. Marcellus *l.* 35. *de relig. & ſumt.* & Paulus *l. poſtliminium* 19. §. 7. *de captiv. & poſtl. rev. Diſciplina,* infit, *caſtrorum antiquior fuit parentibus, quam cura liberorum.*

qua prima veſtigia poſuiſti, quando alio in ſolo commode ſatis vivere licet? ubivis magnam partem peregrinæ multitudinis invenies, & nullum eſt exilium, in quo non aliquis animi cauſſa moretur. Cives vero ſi patriam vocas, amicis quidem cognatis & propinquis amor debetur, quod ad ceteros delira interdum patria eſt, mentique errore ducitur, ut Plato de ſua locutus; interdum crudeliter bacchatur, atque in viſcera ſua ſævit. Sordent illi certe plerumque domeſtici, hinc, ut Scopelianus Sophiſta ajebat, luſcinia in nido non canit. Sed quorſum hæc? Vt pateſcat, Stoicos viros politicos fuiſſe, qui aliter in vita civili, quam in ſcholis, philoſophantes, militi Romano robur & æs triplex circa pectus, magno caveæ conſenſu, accommodarunt. (*p*)

Quod ſi denique animos ad religionem Stoicæ ſectæ attendamus, nil erat inſtitutis Romanorum convenientius. Romulus Vr-

bis

(*p*) Huc refero illud Plutarchi in vita Cleomenis cap. 3. *Magna & vehementia ingenia, ſi Stoica diſciplina imbuantur, prompti ad pericula ſubeunda, & audaces, adeoque temerarii fiunt homines: ſin ea ſedato & placido ingenio committatur, ejus temperamento quaſi diluta, fructus optimos & conſentaneos profert.*

bis parens id ſancte poſteris ſervandum præceperat, ut Deos patrios patrio more colerent; idem Ennianus ille verſus indicat, qui ob ſuam brevitatem & veritatem, tanquam ex oraculo pronunciatus videbatur:

Moribus antiquis ſtat res Romana viriſque.

Vnum autem Jovem Vrbis & imperii ſui credebant ſtatorem, qui tecta, mœnia, vitam, fortunasque ſuas e rupe Tarpeja tueatur. Fabulari illa Poëtarum Theologia, qua Mars homicida, fur Mercurius, Bachus ebrioſus fingitur, ipſis nil inſulſius magisque nugatorium viſum fuit. Civilem autem cultum, tanquam frænum vulgi, obſervandum ſibi diligenter & retinendum exiſtimarunt. Quid noſtri? Vnam ſimiliter naturam, unum Deum, unum Δία ſive Jovem, qni per materiam, velut mel per favos, decurrat, ubique in ſcholis ſuis profitentur. (q) Nec tamen reli-

(q) Diogenes Laërt. in vita Zenonis *lib. VII. cap.* 135. cujus verba ex Ambroſii verſione compendii cauſſa ſemel tantum appono: *Vnum quoque Deum eſſe, & mentem, & fatum, & Jovem, multiſque aliis appellari nominibus.* Seneca IV. de benef. c. 7. *Quacunque voles nomina propria Deo aptabis.* Pomponius l. 2. de J. & J. *Veluti erga Deum religio.* Vlpianus l. 9. §. 3. de R. D. *Sanctum*

religionis ita ſunt metuentes, ut cum vulgo Deos Deorumque nomina numero multitudinis appellare vereantur: paſſim id faciunt; &, ſi uſus erat, nulli majores ſacrilegiorum vindices, & Deorum aſſertores. Socrates pro uno numine capitis periculum ſubierat; hi vero inter parum & nimium medii, populo falſam potius, quam nullam religionem objiciendam, crediderunt. Omnem illam, ajebat Seneca, (*r*) ignobilem deorum turbam, quam longo ævo ſuperſtitio ingeſſit, ſic adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere. Ecce talis, tamque cara fuit Zenonis diſciplina: Vos nunc judices ſedete, tacitique expendito, num quæ alia magis Romanorum aſſenſum meruiſſe potuerit, quam quidem hæc, & ſententiarum gravitate, & decretorum uſu abundans.

At nondum res expedita eſt: niſi enim litterarum monumenta nos fallunt, quatuor ſectis publica lege in imperio Roman. ſalaria ſunt

eſt, etſi Deo non ſit conſecratum. quæ alia loca cur a Triboniano interpolata putemus cum Wiſſenbachio *Embl. Trib.* nulla cauſſa ſubeſt.

(*r*) In libro, quem contra ſuperſtitiones ſcripſit, auctore Auguſtino *lib. V. de Civ. Dei cap.* 10.

ſunt conſtituta, (*ſ*) & omnes in Vrbe ſuos habuiſſe videtur antiſtites & patronos. Acriter igitur hi nos inclamant, & grunniunt inprimis Epicuri de grege porci, plurimos maximo veterum conſenſu amicos, etiam Romæ, ſibi vindicantes. Pythagoram ibidem aliquo loco habitum, ſtatua ejus in cornibus Comitii indicat. Ennius certe ejus dogmata ſecutus eſt, & Appii Claudii carmen, quod Ciceronis tempore extitit, Pythagoricum fuiſſe videtur. Qui cauſſis orandis ſe prolaturi, Academiæ ſpatia amabant; quod mos in utramque partem diſſerendi ad exercitationem forenſium cauſarum proxime accedat. Quos vitæ delectabat libertas Cynicos ſecuti. Ariſtotelis item & Theophraſti libros Sylla den-

(*ſ*) Lucianus Eunucho: *Scis, Pamphile, ſalarium, idque neutiquam exiguum, ab Imperatore fuiſſe conſtitutum ſingulis Philoſophorum generibus, puta Stoicis, Platonicis, Epicureis, præterea Peripateticis, ita ut unicuique ſectæ præmium eſſet æquale.* Huc pertinere videtur, quod de Philoſophis ſcribit Modeſtinus in *l.* 6. §. 2. *D. de excuſ.* *αἱρέσεις τινὲς προσκείμεναι τῷ νόμῳ: hæreſes quædam propoſitæ lege.* Sed conditiones, non ſectas intelligendas eſſe, contra Petitum, Grotium, Gronovium & alios evici cap. VI. §. 4 de Ædilibus colon. & municip.

Romam detulit. Denique quis credat, prudentiores uni ſectæ, velut ſacramento aut ſuperſtitione quadam conſtrictos, ſe addixiſſe? cum extra hæc vincula liberius philoſophari, & in omnium caſtra tranſire liceret. Speciosa hæc ſunt, fateor; ſed vadimonium non deſero, rationibus certis liquidisque ſtipatus. Vnus & alter licet ad alios deflexerit, Stoica tamen ſecta ceterarum fuit regina, & plurimos omni tempore ſui habuit aſſertores. Patebit hoc clarius, ſi mecum per ſingulas ire placebit: unicuique ſuum tribuemus ſingulatim. Aureum, ſodes, *Pythagoræ* carmen, & myſtica ejus diſciplina, quo in numero eſſe potuit apud ſeveros Romanos? Sylla ſtatuam ejus bello Samniti poſitam removit; (*t*) libros hujus Philoſophiæ in Cn. Terentii agro inventos combuſſit Petilius Prætor; (*u*) & in ipſa denique Italia, quam Magnam Græciam vocabant, Pythagoræorum collegia, iam anno circiter ducenteſimo poſt reges exactos, incenſa fuerunt & extincta. (*x*) *Academia* nova ignorantiæ erat magiſtra, & ma-

(*t*) Plin. *lib.* XXXIV. *cap.* 6. (*u*) Idem *lib.* XIII. *cap.* 13. At Livius *lib.* XL. *cap.* 29. negat, Pythagoricos fuiſſe. (*x*) Vide Joan. Scheffer. *de nat. & conſtit. Philoſoph. Italica cap.* XV.

jorem impudentiam ad facinora ſubminiſtrabat. Senſibus illa tam externis, quam internis male fidens, oleum a garo, tudiculam a veru, atrum ab albo diſcerni poſſe, negabat; (*y*) Vnde & vix ultra Auguſti ætatem. (*z*) *Cynicorum* magnus erat proventus, ſed major ob affectatam illuviem vilitas: decoris etenim Romanis qui obſcœna illa, quæ paria, immo pejora belluis, fecerunt Crates, Diogenes, & ejus farinæ alii, probari potuiſſent? Pepuliſſent eos Cenſores, pudoris ac verecundiæ magiſtri; quin omnis puer, muliercula & e vulgo quisque (*a*)

-- -- multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

Ariſtoteles in diſciplinis omne genus tradendis ad miraculum usque eminuit, in Phyſicis etiam

(*y*) Feſtive Arrianus ad Epictetum *lib. II. c.* 20.

(*z*) Elegans locus Senecæ lib. VII. Nat. Quæſt. cap. 32. *Itaque tot familiæ Philoſophorum ſine ſucceſſore deficiunt. Academici & veteres & minores nullum antiſtitem reliquerunt. Quis eſt, qui, tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagorica illa invidioſa turbæ ſchola præceptorem non invenit. Sextiorum nova & Romani roboris ſecta, inter initia ſua, cum magno impetu cepiſſet, extincta eſt.*

(*a*) Perſius *ſat. I. in fine.*

Digitized by Google

etiam & Dialecticis Stoicos longe poſt ſe reliquit; accuratius ubique definit, dividit, meliorique omnia ordine pertractat. Habebant vero ejus libelli ſua fata: Andronicus Rhodius eos in multa exemplaria transfundi & publicari curaverat; ipſis autem Philoſophis Romanis, præter admodum paucos, Ciceronis tempore erant ignoti: (*b*) nec multos ſecutis temporibus habuerunt lectores, fortaſſis, quod obſcuras rerum cauſſas obruunt ſermonis obſcuritate, vel quia blattarum malignitas, & hominum ineptorum emendationes, æſtimationem eorum iverant imminuturum. *Electivum* philoſophandi genus ceteris quidem præſtantius, (*c*) quod

P 2 opti-

(*b*) Ita ille in Topicis ad Trebatium cap. 1. *Rhetor autem ille magnus hæc, ut opinor, Ariſtotelica ſe ignorare reſpondit. Quod quidem minime ſum admiratus, cum Philoſophum Rhetori non eſſe cognitum, qui ab ipſis philoſophis, præter admodum paucos, ignoretur.*

(*c*) Hoc ſecuti Cicero, Varro, Quintilianus, Tacitus, & Horatius, qui nunc *virum rectum* ex Stoicorum mente depingit, alibi *Silvas Academi* laudat, rurſus ſeſe *Epicuri de grege porcum* appellat. Diſerte lib. 1. Epiſt. 1, verſ. 13. de ſe ipſo:

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter
Nullius addictus jurare in verba magiſtri,

Digitized by Google

optima quævis ex unaquaque ſecta eligit, nec tam auctores in diſputando, quam rationis momenta quærit: quemadmodum autem folia per ſe virere non poſſunt, ramum deſiderant, cui inhæreant, & ex quo trahant ſuccum; ſic plerique ſectæ inſigi volebant, præcepta, ſi ſola ſunt, marcere putantes. Multa adhæc induſtria, multo ingenio & judicio opus erat, ut in tanto Porticus, Academiæ, Lycæi & hortuli diſſenſu verum ubique a falſo diſcerneretur. Ad *Epicuri* denique nomen multi advolarunt, patrocinium inertiæ ſuæ quærentes: (*d*) ſed peſſimi indicium turba eſt, nec unquam tam feliciter actum cum genere

Quo mecunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.
Nunc agilis fio, & merſor civilibus undis,
Virtutis vera cuſtos, rigidusque ſatelles,
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus, ſubmittere cogor.

(*d*) Laert. *lib. X. ſegm.* 9. Cicero *IV. Acad. Q.* & 1. *de Fin.* Lactant. lib. III. de falſa ſap. cap. 17. *Epicuri diſciplina multo celebrior ſemper fuit, quam ceterorum: non, quia veri aliquid afferat, ſed quia multos populare nomen voluptatis invitat. Nemo enim non in vitia pronus eſt. Propterea, ut ad ſe multitudinem contrahat, appoſita ſingulis quibusque moribus loquitur. Deſidioſum vetat litteras diſcere, avarum largitione liberat, ignavum prohibet accedere ad rempublicam.*

nere humano, ut meliora pluribus placerent. Titus Lucretius, C. Caſſius, Pomponius Atticus, Vellejus Senator, Virgilius, Petronius, Martialis fuerint ex hac voluptatis officina; ejus profecto decreta reipublicæ videbantur pernicioſa, horumque doctores, Alcæus & Philiſcus, urbe ſunt ejecti, tanquam libidinis & inertiæ patroni. (e) Demus etiam, magnos, & amoris conſpiratione conſentientes amicorum greges Romæ tenuiſſe Epicurum, Jurisconſultos certe a ſe ipſe dimittebat; (f) qui remp. gerere negabat eſſe ſapientis, qui contemnebat Dialecticam,

 dicti-

(e) Athenæus *lib. XII. Deipnoſ. cap.* 12. Ælianus *lib. IX. cap.* 12.

(f) Vnicus Alphenus Epicureos ἁπλῶς Philoſophos vocare videtur in celebrata illa *l. proponebatur* 76. *D. de judiciis*, his verbis: *propterea quod, ut philoſophi dicerent, ex quibus particulis minimis conſiſteremus, hæ quotidie ex noſtro corpore decederent, aliaque extrinſecus in earum locum accederent.* Epicuri enim dogma de atomis hic laudari, exiſtimat Dionyſ. Gothofredus *in notis*, & Joh. Schilterus *manud. Philoſ. moral. cap.* 1. §. 7. Sed Jacobus Cujacius *lib. XXVI. Obſ. c.* 40. de Heraclitiis & Stoicis Alfenum excipiendum docuit, quem eo nomine laudat Menagius in notis *ad Laert. lib. X. ſegm. 66. pag.* 463. Dabimus huic legi diſſertationem ſingularem.

Digitized by Google

dictione utebatur vitioſa, & fugere omnem diſciplinam navigatione quam velociſſima, jubebat. Nolo mihi ſine pignore credatis: attendite diligentius, quibus argumentis Tullius Trebatio Jurisconſulto hanc ſectam diſſuadet: (g) *Indicavit mihi* (verba ſunt Ciceronis) *Panſa meus, Epicureum te eſſe factum. O caſtra præclara! quid tu feciſſes, ſi te Tarentum, & non Samarobrinam, miſiſſem? Iam tum mihi non placebas, cum idem intuebare, quod Titius familiaris meus. Sed quonam modo jus civile defendes, cum omnia tua cauſſa facias, non civium? Vbi porro erit formula fiduciæ*, ut inter bonos bene agier oportet? *Quis enim eſt bonus; qui facit nihil, niſi ſua cauſſa? Quod jus ſtatues* communi dividundo, *cum commune nihil poſſit eſſe apud eos, qui omnia voluptate ſua metiuntur? Quomodo autem tibi placebit*, Jovem lapidem *jurare, cum ſcias, Iovem iratum eſſe nemini poſſe. Quid porro fiet populo Vlubrano, ſi tu ſtatueris* πολιτεύεσθαι *non oportere?* Hactenus ille. Ex quibus cum ſatis jam paret, ſectas alias fuiſſe extinctas, alias pulſas, ignotas alias, & ſine nomine, ſine cenſu ac lare publico, projectas; ſupereſt

(g) *Lib. VII. ad familiares epiſt.* 12.

pereſt dicamus, uuam unam Stoicorum Philoſophiam Romanos didiciſſe, nec aliam uſui Reip. fuiſſe accomodatiorem.

Sed video vos, Auditores, tacitis a me cogitationibus jam dudum expetere, uti propius ad Jurisconſultos noſtros accedam, Vobisque rationes aperiam ſingulares, cur hi Stoicorum diſciplinam fuerint ſecuti: ſine his enim vix id, quod propoſui, momentum ſat firmum & liquidum habebitis. Mihi vero id vel maximum videtur, & quo nullum huic rei demonſtrandæ adhiberi poteſt majus. Enimvero diſciplinarum illa divortia & limites, quos ubivis nunc inculcant liberalium artium doctores, Romæ erant ignoti. Qui ſapientiæ gloria excellere vellent, omnia, quæ civitas noſſet, complectebantur; una omnium rerum erat doctrina, unus omnium diſciplinarum concentus. Qui Jurisconſultus idem Philoſophus; qui Philoſophus idem Jurisconſultus. Dicam audacius: fuit tempus, cum apud ſolos Jurisconſultos in Vrbe ſapientiæ amor reſedit: horum domus oracula erant totius civitatis, unde cives & hoſpites, ſuarum rerum incerti, cauti & conſilii compotes dimittebantur. Hinc eadem jurisprudentiæ, quæ Philoſophiæ eſt definitio; (*b*) ut

(*b*) Vlpian. *l.* 10. *de J. & J.* Strabo initio ſui

ut Philoſophi appellati *ſapientes*, ſic & Juriſconſulti; (*i*) & ipſum juris ſtudium ab Vlpiano *civilis ſapientia*, (*l*) a Juſtiniano *antiqua ſapientia* vocatur. (*m*) Juris itaque ſtudioſi ut Philoſophiam, artis ſuæ tam neceſſarium, tam carum, tam utile inſtrumentum diſcendo caperent, Stoicorum ſcholas frequentarint oportet; quia non alias in Vrbe conſtitutas inveniebant & apertas. Sed & aliæ licet fuiſſent, ad has vel ultro eos invitabat mirabilis omnium doctrinarum compoſitio & ordo; reſpondebant extrema primis, media utriſque, omnia omnibus, & quod caput eſt, earum decreta & ſtudia ſuis rationibus quam ma-

operis: *Divinas humanasque res complectitur, quarum ſcientia dicitur eſſe ea, qua Philoſophia appellatur.* Cicero II. de Fin. c. 12. *divinarum humanarumque rerum ſcientia, qua poteſt rite appellari ſapientia.*

(*i*) Omnes Philoſophi ſapientes dicebantur, at Stoicos per excellentiam *ſapientia doctores* vocat Tacitus *lib. IV. Hiſt. c.* 5. De Juriſconſultis Gellius lib. IV. cap. 1. *Veteris juris magiſtri, qui Sapientes appellati ſunt.* Sic Atilius Sapiens dictus, *quia prudens eſſe in jure civili putabatur*, Cicero *in Lælio cap.* 2. & Sempronium *populus Romanus σοφὸν, id eſt ſapientem, appellavit.* Pompon. *l.* 2. §. 37. *de Orig. jur.* (*l*) *l.* 1. §. 4. *D. de extr. cognit.* (*m*) *l. ult. C. per quas perſ. nob. acq.*

Digitized by Google

maxime conveniebant. Non omnia, quæ hanc in rem dici poſſunt, proferre animus eſt: ſic enim patientia veſtra facile abuti viderer, & res ipſa teſtimoniorum inter ſe collationem amat, unde amœni tractatus propediem materia erit. Dicam tantum illuſtriora, & ſumma rerum faſtigia, qua id poteſt fieri brevitate, complectar.

Stoicorum natio regnum tenebat in philoſophia morali: cum enim reliquæ ſectæ in Phyſicis fere tantum excellerent, & de motu, quiete, inani, de numeris, motibus, aliisque rerum naturalium principiis, multa acute diſſererent; hi regulas de vita & moribus tradebant, quibus omnes officiorum fontes, ac tota hominum ſocietas, continetur. Divinam hanc & nobiliſſimam artem Socrates primus e cœlo in terram deduxit; unde non hominum tantum conſenſu, ſed & Apollinis oraculo, ſapientiſſimus judicatus eſt. Deinde eam pulcherrima hereditate ad Zenona delatam, ejus diſcipuli excoluerunt; indeque Socratici, (*n*) virtutis rigidæ cuſtodes, me-

(*n*) Perſius *Sat. V. verſ.* 36.
Me tibi ſuppoſui: teneros tu ſuſcipis annos
Socratico, Cornute, ſinu: tunc fallere ſollers
Appoſita intortos excludit regula mores.

Digitized by Google

medici majores dicti; eorumque ſecta fortiſſima, ſanctiſſima, graviſſima; rigida & virilis ſapientia, paſſim vocatur. Multa & præclara in hoc genere Poëtæ in fabulis, multa Plato & Ariſtoteles: ſed non robore eo & nervis, quibus noſtrates. Vnum vobis modo proponite Epictetum, hominem ſervum, mutilum, pauperem; ſed cujus ſcripta nil niſi liberum, rectum & excelſum ſpirant, & divina pæne de vitandis vitiis, de virtutibus ſectandis, de modeſtia, temperantia, prudentia, & omni morum honeſtate præcipiunt. Quid ſit homo, in quem finem a Deo creatus, quis ordo ſit rerum, in qua mundi ſtatione ſit collocatus, quid quiſque cuique debeat, hæc & id genus alia inculcat. Hoc autem ſtudium Juriſconſultis apprime erat neceſſarium, ut in hac caligine, denſaque velut nebula fallacium imaginum, latentem veritatem eruere poſſent. Vt ſcirent, quomodo conſtituendæ ſint reſpublicæ & regendæ; quæ partes principis, quæ ſubjecti; quid maritus debeat uxori, quid patri filius, quid domino ſervus; de juſtitia denique, de legibus, de præmiis & pœnis quid ſtatuendum ſit, ſine quibus civitates aut eſſe, aut bene moratæ eſſe, non poſſunt.

- - - (o) Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Hanc ſane qui ex juris diſciplina tollunt, illi ſolem mihi de rerum natura tollere videntur; hanc ſi demas, nudum & deforme cadaver, immo monſtrum fœdiſſimum, remanebit. O (*p*) igitur vitæ Philoſophia dux! o virtutis indagatrix expultixque vitiorum! quid non modo nos, ſed omnino vita hominum, ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti: tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum & vocum communione junxiſti: tu inventrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti: ad te confugiunt principes, magiſtratus & legiſlatores: Solon, Pitacus, Minos, Lycurgus, Charondas, Zaleucus æquas tua ope tulerunt leges, ſed æquiſſimas Romani, quia per Stoicorum veſtigia inceſſerunt. Horum libros ſi cum jure civili conferre placet, id quod veriſſi-

(*o*) Horatius *de arte poët.* (*p*) Cicero *lib. V. Tuſcul. Q. cap. 2.*

riſſimum eſt, agnoſcemus, hanc noſtram ſcientiam ex ea domo profluxiſſe. In Senecæ ſcriptis omnis pagina nobis lucem affundit: nec alia cauſſa eſt, cur Ciceronis libri de Officiis (*q*) tam multa tamque elegantia de contractibus, de judiciis bonæ fidei, de dolo in venditione coërcendo, complectuntur, quam quia ex Panætii, aliorumque Stoicorum libris de officiis ſunt excerpti. Non ergo ingratiis Jurisconſulti ad Stoicorum ſcholas itabant, cum in iis ſuam ipſi doctrinam agnoſcerent.

Hoc amplius Zenonis familia Juriſconſultis utilis erat & grata, quod inter ratas ſuas ſententias habebat, Rempublicam adminiſtrare eſſe ſapientis. (*r*) Neque enim umbratici erant doctores, ludus eorum non erat otii diverſorium, non cucurbitas in eo pingere, velut ſtipites, docebant: ſed de regno, de republica, de legibus, de officio judicis, in ſcholis & ſcriptis ſuis differentes erudiebant ſuos, quo eſſent meliores cives, judices & magiſtratus. Epicurei diſcincti ac diſſoluti, in balneo, vel etiam in ſcortilli gremio molliter recubantes, ſocietatis civilis par-

(*q*) Vide *lib. III. de Offic. cap.* 4. (*r*) Seneca *epiſt. XVI. & de otio ſap. cap.* 30.

partem nec noverant ullam, nec noſſe volebant. Alii in umbraticis ſcholarum porticibus incluſi ſyllogismos retexebant, ac de elenchis philoſophabantur: cum vero ad remp. vocati, nil, præter ſapientem barbam & togam, afferebant. At noſtri cuique hominum ſuum locum datum eſſe ſtatuebant; alii ut aret, alii ut naviget, huic ut militet, illi ut rempublicam gerat: ipſi etiam vere viri belli pacisque tractabant artes, ibant in forum, honores faſcesque capeſſebant, non purpura aureisque virgis addicti, ſed ut amicis, propinquis, civibus ingenio & voce magis prodeſſent. Auſtera quidem nimis, moroſa ac obſcæna plerisque Stoica ſecta videtur, quam ut publicis moribus conveniret. Intonſum caput, frons rugoſa, & barba negligentior a multis, velut proprium hujus familiæ habetur. Credat hoc Judæus Apella: non ego. Germanus Stoicus non abhorrebat a vita communi; (*ſ*) non ſplendebat ei toga,

(*ſ*) Viliores animæ cultum ac munditiem corporis neglexere, unde quidam Stoici *pæne Cynici* vocantur a Cicerone 1. *de Off. c.* 35, & Juvenalis *Sat. XIII. verſ.* 121. Stoica dogmata *a Cynicis tunica diſtare* ait. Id quod ſi de omnibus accipias, injúria fiet ſectæ verecundæ, quæ ſordes hujusmodi, tanquem a natura alienas, averſabatur. Vide La-

Digitized by Google

toga, nec ſordebat quidem: meliorem vitam agebat, quam vulgus, non contrariam; intus omnia diſſimilia, frons populo conveniebat. Nullus illi horror in cultu, nulla triſtitia; reverearis occurſum, non reformides. Vitia inſectatur, non homines, nec caſtigat errantes, ſed emendat. Auſteri erant, ſed illis ſimiles vinis, quæ medicaminis vim habent, ad compotationes vero ſunt inepta. Gaudebant cum gaudentibus, flebant cum flentibus, & agendæ rei cauſſa faciebant ſæpe, quæ non probabant. Vultis exempla? Dabo. Et quem meliorem Scipione Africano? qui ex hac doctrina non auſterus, ſed leniſſimus factus. (*t*) Quis vero C. Lælio comior, quis jucundior eodem ex ſtudio? Catone quis gravior? Pompejo quis ſublimior? Auguſto quis ſapientior? quis denique clementior Antonino? qui & in theatrum deſcendit, & ſpectaculis interfuit; princeps ſine exemplo bonus, conſtans, tranquillus, civibus ita carus, ut mortuum omnes, velut una voce, alii parentem probum, alii bonum imperatorem, quidam etiam fortiſſimum.

ërt. *lib. VII. n.* 4. Senec. *epiſt.* 92. Arrian. *lib. IV. cap.* 11.

(*t*) Cicero *pro Murana cap. XXXI.*

ſimum ducem, appellarent. (*u*) Veſtrum nunc erit, pronuntiare, an hanc eſcam appetituri fuerint veteres Juriſconſulti, homines ſuapte natura ambitioſi, & vitam actuoſam publice profitentes. Nefas illis erat, pecorum ritu ſegni otio torpeſcere; in publicis conventibus, in foro, in tribunalibus tractabant leges, inſtituta, ac mores majorum, ad primas quasque dignitates execti. Nec de ſtillicidiis tantum, cloacis, aut glande legenda; ſed de omni jure, publico & privato, divino & humano reſponſa dabant, aſſidebant magiſtratibus, haſtas patronis ſubminiſtrabant. Hæc eſt vera illa, non ſimulata Philoſophia, quam Vlpianus (*x*) Juriſconſultos affe-

(*u*) Herodian. *lib.* 1. *Hiſtor. cap.* 4. *§.* 20. Philoſtrat. in vita Herodis *lib.* 2. *pag.* 558. Ὁ Μάρκος φύσει δημοτικώτερος: *Marcus natura magis popularis.*

(*x*) In *l.* 1. *§.* 1. *de J. & J.* ubi *vera* philoſophia eſt, quæ ad negotia & reipubl. adminiſtrationem transfertur; *ſimulata*, quæ in verbis & argutis contemplationibus conſumitur. Cicero *l. XV. epiſt.* 4. ad Catonem: *Soli propemodum nos philoſophiam illam*, veram *& antiquam, quæ quibusdam otii eſſe ac deſidia videtur, in forum, atque in remp. atque in ipſam aciem pæne deduximus.* Euphrates Stoicus apud Plinium lib. I. Epiſt. 10. *adfirmat eſſe hanc philoſophiæ, & quidem pulcherrimam partem, age-*

affectare, & vere, gloriatur: Juſtitiam namque colunt, & boni ac æqui notitiam profitentur: æquum ab iniquo ſeparantes: licitum ab illicito dicernentes: bonos non ſolum metu pœnarum, verum præmiorum quoque exhortatione, efficere cupientes.

Satis, niſi fallor, oſtendi, utilem & acceptam Juriſconſultis fuiſſe Stoicorum diſciplinam. Quid ſi addam, fuiſſe neceſſariam? Immo addo, & totidem quidem rurſus argumentis. Primum eſto, quod omnis eorum cura in Dialectica conſumebatur, adeo, ut eam inter virtutes referendam putarent. Peripateticorum opera in hoc genere erat conſummatior; ſed quæ ab illis erant inventa, noſtri elaborarunt, & quibusdam commutatis in uſum ſuum tranſtulerunt. Zeno arti huic ita fuit deditus, ut cuidam ſeptem ſpecies argumenti, quod metentem appellant, ei indicanti, ducentas drachmas dederit, cum centum mercedis tantum loco poſtulaſſet. (y) Vnus Chryſippus ultra trecentos libros ſolius Lo-

re negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere & exercere juſtitiam; quaque ipſi doceant, in uſu habere. Locus elegantiſſimus, cui adde Senecam de *brevitate vitæ cap. X.* ubi Philoſophos *cathedrarios* opponit *veris*.

(*y*) Laërtius *lib. VII. num.* 181.

Logicæ reliquit, atque adeo clarus in hac fuit, ut plerique exiſtimarent, ſi apud Deos uſus eſſet Dialecticæ, eam non futuram aliam, quam Chryſippeam. (*z*) Vterque etiam definitionum & diviſionum fuit amantiſſimus, immo omnes, quotquot habuerunt diſcipulos, hanc diſciplinam, velut omnium principem, excoluerunt; unde κατ' ἐξοχὴν Dialectici dicti, (*a*) & plerique alii hoc in ſtudio Stoicorum doctrinam ſunt ſequuti. In primis autem Juriſconſulti artem ratiocinandi e Porticu ſuæ diſciplinæ adhibendam cenſuerunt; ut genera diſpartiri, rem de-

Q

(*z*) Laërt. *eod. lib. VII. ſegm.* 181.

(*a*) Turnebus *lib. XV. Adv. cap.* 11. hoc ex Cornificio lib. 2. ad Herennium oſtendit. Cui adde Ciceronem lib. IV. de Finib. *Quid ea, quæ Dialectici nunc tradunt & docent, nonne ab illis* (Academicis & Peripateticis) *inſtituta ſunt & inventa.* Et lib. 1. Acad. Quæſt. *Cum hoc igitur Dialectici pugnent, id eſt Antiochus & Stoici.* Hinc lux Africano in l. 88. D. ad L. Falcid. *Dixi τῶν ἀπόρων hanc quæſtionem eſſe, qui tractatus apud Dialecticos τοῦ ψευδομένου dicitur.* Hæc iis addenda videbantur, quæ diſputat Menagius *lib.* 1. *Amœnit. cap.* 1. Non omnes vero Stoicos nugoſas illas argumentationes approbaſſe, ſed quosdam tantum, atque ideo eos ſæpe a Dialecticis diſtingui, docet Merillius *lib.* 1. *Obſ. cap.* 17.

definire, vera a falſis dijudicare, ambigua ptimum videre, dein diſtinguere, tum quid cuique conſentaneum ſit, quid repungnans animadvertere poſſent. Hac duce & magiſtra cum deſtitueretur adhuc jus civile, diſſipatum & confuſum erat chaos: monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum eſt: quod in una cognitione eſt poſitum, id in infinitas dividebatur; nec tam ex generum cauſſis, quam ex reſponſis prudentum, cauſſæ innumerabiles poterant decidi. Craſſus, Pompejus, Cæſar, Cicero, aliique civitatis proceres ideo de jure civili in artem redigendò ſtudioſisſime cogitarunt; ſed otii inopia ac reip. neceſſitatibus fuerunt impediti. Q. Ælius Tubero, Panætii auditor & Stoicus, jam ante, & primus quidem, Logicam ad jurisprudentiam attulerat, (*b*) ſed rem tantam ſolus non perfecit. Felicior fuit

(*b*) Gellius lib. 1. cap. 22. *M. autem Cicero in libro, qui inſcriptus eſt de jure civili in artem redigendo, verba hæc poſuit:* Nec vero ſcientia juris majoribus ſuis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam ſuperfuit. *In quo loco*, ſupefuit, *ſignificare videtur* ſupra fuit & præſtitit, *ſuperavitque majores ſuos doctrina ſua ſuperfluenti, tum & nimis abundanti: diſciplinas enim Tubero Stoicas & dialecticas percalluerat.*

Digitized by Google

fuit Scævola, qui, auctore Pomponio, (*c*) jus civile primus conſtituit, nec tamen omne tulit punctum. Servius autem Sulpitius artem hanc omnium maximam, quaſi lucem, ad ea, quæ confuſe adhuc reſpondebantur, a Stoicis eſt mutuatus, eamque totam in jurisprudentiam advocavit; quapropter M. Tullius (*d*) aliis uſum juris, huic uni artem concedit; qua laude haud ſcio, an alia tribui Juriſconſulto major poſſit. Hujus exemplo Antiſtius Labeo dein in dialecticam penetravit, quique poſt eum vixerunt Juriſconſulti omnes hac parte Stoicorum veſtigia preſſere. Vnde genus & ſpeciem eodem modo, quo illi deſcribunt; raro definitiones habent accuratas, quod vitium erat Stoicorum; & ſicut captionum amantiſſima erat Porticus, ſpinas Logica ſua vellebat, & varii generis ſophiſmatibus, ut pſeudomeno, ſorite, ſuperpoſito, metente, calvo, crocodilo, cornuto, conficiente, obvelato, ignava ratione, & aliis ejusmodi argumentandi monſtris lubens utebatur, ſic & juris noſtri auctores ea in artem ſuam retulerunt. (*e*)

(*c*) *l.* 2. §. 41. *de Orig. Jur.* (*d*) *in Bruto c.* 41.

(*e*) Africanus *l.* 88. *D. ad L. Falcid.* Vlpianus *l.* 177. *de V. S.* Julianus *l.* 65. *de Reg. Jur.* Scævola apud Ciceronem lib. 1. de Oratore cap. 10. *Stoici*

Præterea Dialecticæ nomine Stoica gens Grammaticam ſimul complexa eſt: unde de proprietate verborum, de conflictu vocalium, de voce canora, de helleniſmo, idiotiſmo, barbariſmo & ſolœciſmo diſceptabant; etiam ad ſyllabarum diſtinctiones & conjunctionum ac præpoſitionum proprietates deſcendebant, Grammaticis velut invidentes. (*f*) Idem vero labor omnino Juriſconſultis fuit ſuſcipiendus, (*g*) ut vim vocum haberent perſpectam, & in legibus, edictis, Senatusconſultis, in contractibus & teſtamentis, exacte omnia explicare poſſent. Quippe ex uno verbulo male obſcureve poſito, magnæ plerumque lites oriuntur, & apud Prætorem, ſi quando una ſyllaba erratum eſſet in formula, lis tota perdebatur. Vt ne dicam ex alieno ſæculo iis explicanda fuiſſe verba Legum XII. Tabb. a regiis temporibus conſervata, quibus interpretandis doctiſſimi

---

vero noſtri, inquit, *diſputationum ſuarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent.*

(*f*) Seneca *epiſt.* 88. (*g*) Cicero pro Muræna cap. XI. *Quæ dignitas in tam tenui juris ſcientia eſſe poteſt? Res enim ſunt parvæ, prope in ſingulis litteris & verborum interpunctionibus occupatæ.* Quintilianus lib. V. Inſt. Orat. cap. 14. *Cum etiam ipſi Juriſconſulti, quorum ſummus circa ver-*

Romanorum erant minores. (*h*) Endo pro in, im pro eum, eſcit pro erit, duit pro dederit, ſirit pro ſiverit, adorato pro agito, facile omnibus erant nota: at *Nexo ſoluto forti ſanati ſiremps jus eſto*, & alia hujusmodi, hoc opus hic labor erat. Servius Sulpitius ideo conſulit Varronem, quid in Cenſoriis libris ſint *faviſſæ Capitnlinæ:* In Prætorum edictis quid *flumina retanda* ſingnificet, in bibliotheca templi Trajani quærunt eruditi, (*i*) & in univerſum propria Juriſconſultorum erant vocabula, *ſuus heres*, *erctum citum*, *ruta cæſa*, *ex jure manum conſertum*, alia, quorum ſignificatio Grammaticis non ſatis erat culta & perſpecta, ſed ab ipſis Juriſconſultis petenda. Vnde Gregorio Thaumaturgo (*l*) verba legum Rom. præclara quidem, ſed difficilia perplexaque videbantur.

borum proprietatem labor eſt, littus audeant dicere, qua fluctus eludit.

(*h*) Cicero lib. I. de Oratore. *Plurima eſt in omni jure civili, & in pontificum libris, & in XII. tabulis antiquitatis effigies, quod & verbarum priſca vetuſtas cognoſcitur, & actionum genera quædam majorum conſuetudinem vitamque declarant.* Adde Gellium *lib. XX. cap.* 1 Symmachum *l. III. epiſt.* 44. (*i*) Gellius *lib. II. cap.* 10. *lib. XI. cap.* 17. *lib. XX. cap.* 10. (*l*) *In Orat. Panegyric. ad Origen.*

Paulus, velut e grege Grammatiſtatum aliquis (riſum teneatis amici) nomen *penus* omnis generis eſſe, ſibi traditum notat: Vlpianus in voculas *penes* & *apud* inquirit: Pomponius, Julianus & Modeſtinus ſub maſculino genere ſexum utrumque comprehendi ſcribunt: quinimo Ælius Gallus de verbis ad jus pertinentibus, & Voluſius Mæcianus de aſſe ejusque partibus libros ſingulares ediderunt. Quemadmodum vero uſum rei abuſus facile conſequitur, ſic etiam Stoici anxiam nimis curam in verbis habuere. In Zenone hunc morbum damnat Seneca; in omnibus ejus ſectatoribus Plutarchus, Galenus & alii; & vellem parciores fuiſſent in veriloquiis, & alluſionibus, quibus ſupra modum ſibi placuerunt. (*m*) Neque tamen adeo erant

(*m*) Cicero lib. 1. de Off. cap. 7. *Fundamentum juſtitiæ eſt fides: id eſt, dictorum conventorumque conſtantia & veritas: ex quo, quanquam hoc videbitur fortaſſe durius; tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, unde verba ſint ducta; credamusque, quia fiat, quod dictum eſt, appellatam fidem.* Feſtus: *Oppidorum originem optime refert Cicero libro primo de Gloria: eamque appellationem uſurpatione appellatam eſſe exiſtimat, quod opem darent; adjiciens, ut imitetur ineptias Stoicorum.* Chryſippum Laertius *lib.* 7. *n.* 200. ait, libros ſeptem de Etymologicis ſcripſiſſe.

rant inepti, uti derivationes ſuas Dialecticas pro veris etymologiis Grammaticis venderent: ſed quia inanis ſæpe opera in vera origine inveſtiganda ponitur, cum omnium fere nominum plures natales aſſignari poſſint, & uſus, tanquam lex quædam, vocis notationi ſubroget, obroget, vel deroget; externa etiam illa & antiqua plerumque ſint incertiora, ideo ex flexione verbi & veriſimili ad naturam rei alludere, quam nimio artificio ingenium diſcruciare maluerunt. Juriſconſulti Romani ea in re præceptores ſuos eo lubentius ſequebantur, quia multas voces ab Hebræis, Græcis, Etruſcis, Volſcis, Oſcis, Sabinis, aliiſque finitimis & remotis populis in Latinum ſermonem incidiſſe ſciebant, quarum origo obſcura eſſet & ignota. Stoicorum etiam morem in docendo utilem eſſe didicerant. Hinc Labeo Latinarum vocum origines rationeſque percalluerat, eaque præcipue ſcientia ad enodandos pleroſque juris laqueos utebatur; *(n)* ſecutus ſine dubio exemplum Servii Sulpitii præceptoris ſui, qui teſtamentum ex eo appellatum dixerat, quod eſt teſtatio mentis. Nec quicquam cauſſæ video, cur huic notationi ex veteribus Gellius, *(o)* ex recentioribus Laurentius Valla,

(n) Gellius *l. XIII. cap.* 10. *(o) lib. VI. c.* 12.

tam vehementer ſuccenſeant: nam Servius non veram originem, (hanc enim quomodo ſummus orator, & vir ætatis ſuæ doctiſſimus, ignorare potuiſſet?) ſed naturam rei tantum indicare voluit: ut hoc ipſo dementes, furioſos, impuberes a teſtamenti factione arceret. Idem de ceteris judicium eſto, quando ex alluſionibus argumenta ducunt: v. gr. ubi lapis non cæditur, ibi non eſt lapidicina; ubi lis non periit, ibi nec litis eſt periculum; ubi mutuum, ibi ex meo fit tuum; ubi poſſeſſio, ibi ſedem ponere licet; ubi res pugno non traditur, ibi nec eſt pignus. His enim ſua utilitas inerat, Plato quoque & Ariſtoteles in his frequentes fuerunt, Stoici vero perpetui, & horum imitatioue Juriſconſulti: nam prima ſtatim Pandectarum lege Vlpianus ait: *Iuri operam daturum prius noſſe oportet, unde nomen juris deſcendat*, id quod Stoa ſic efferebat, definitionem nominis præcedere debet definitio rei.

Ex vultibus veſtris me ſatis jam intelligere puto, parum abeſſe, quin vobis perſuaſerim, utilem & neceſſariam Juriſconſultis fuiſſe Stoicorum diſciplinam: ſi quis autem adhuc dubitat, num pari eam ardore fuerint amplexi, is mente & auribus jam adeſto: rem omnem, utriusque ſtudii dogmatum & doctri-

Digitized by Google

ctrinarum collatione, tam liquidam faciam; ut non ovum ovo, nec lac lacti videatur ſimilius. Melioris autem ordinis cauſſa Juris-conſultos in quatuor claſſes divido: prout ſcilicet vixerunt, vel poſt latas leges XII. tabularum, usque ad ætatem Ciceronis; aut ſub hoc & Cæſare usque ad Auguſti imperium; vel ab Auguſto ad tempora Antonini Pii; vel denique poſt hunc ad Gordianum usque: ſub hoc enim, ceſſim & retro collapſa jam jurisprudentia, oracula noſtra obmutuerunt. In antiquis illis fruſtra ſectam quærimus, nulla quippe his affulſerat Philoſophiæ lux, nullum lumen litterarum. Aſpera & tenebricoſa erant omnia, ſcriptis quidem, ſed ſine arte, jus civile committebant; nec inſtitutione, ſed natura duce, Sempronius & Atilius evaſerunt ſapientes. Paullo autem ante Ciceronem natum Philoſophia a Græcis Romam fuit delata, & moralis illa pleno jam alveo, cum is naſceretur, in jurisprudentiam manabat. Panætium, Stoicorum principem, ſupra audivimus, primum Romæ Philoſophiam docuiſſe; hujus autem diſcipuli mediæ jurisprudentiæ tum erant conditores; quæ non poterat non Philoſophiam, & Stoicam tantum, redolere: ipſi enim Stoici erant, & tales in litterarum monumentis vocantur.

Digitized by Google

P. Rutilium Ruſum Cicero (*p*) ſignanter *Panætii auditorem, prope perfectum in Stoicis* appellat. Q. Ælium Tuberonem, Gellius auctor eſt, (*q*) *Stoicas & dialecticas percalluiſſe diſciplinas*: Sextum Pompejum ingenium contuliſſe ad ſummam juris civilis, & ad perfectam Geometriæ, *& rerum Stoicarum ſcientiam*, refert Tullius. (*r*) Idem Lucium Balbum in libris de natura Deorum Stoicarum partium defenſorem inducit, eumq; *tantos in Stoicis progreſſus habuiſſe* ait, ut cum excellentibus in eo genere Græcis fuerit comparandus. (*ſ*) Quid Quintum Mutium Scævolam memorem? quem Athenæus (*t*) *placita Stoicorum ſecutum* tradit diſerte. Quid Servium Sulpitium? qui Athenis & Rhodi Stoicis operam dedit; Lucilii quoque Balbi auditor fuit, & Dialecticam didicit, & alluſionum tam fuit ſtudioſus, ut vel eo nomine ſolo in hanc claſſem referri mereatur. Jam vero A Caſcellii obfirmatus animus nonne Porticum ſapit? neque enim mores cum rep. mutavit; ſed de temporibus Cæſaris liberius eſt locutus, nulliusve gratia vel auctoritate compelli potuit, ut de his rebus, quas Triumviri ſtatuerant, formulam compo-

(*p*) *In Bruto c. XXX.* (*q*) *Lib. I. Noct. Att. cap.* 22. (*r*) *In Bruto cap.* 47. (*ſ*) *Lib. I. cap.* 6. *de nat. deor.* (*t*) *Lib. VI. Deipnos cap.* 2.

Digitized by Google

poneret: unde Valerius Maximus (*u*) eum *periculoſe contumacem*, id eſt Stoicum, appellare non veretur. Tui autem, Trebati Teſta, fere heic obtlitus eram, & delendus ex hoc albo videbaris, quia a viris ad feminas, a virtute ad voluptatem, ut infamis ille transfuga Dionyſius Heracleotes, tranſire voluiſti; ſed tamen agmen hoc claudas licet; fortaſſis enim more ſuo tecum jocatur Tullius, aut e fuga te retraxit. Certe in Stoica ſchola te ante vixiſſe nullus dubito: formaſti Antiſtium Labeonem perfectum Stoicum, & peccata tibi paria ſunt; nam qui aurem alicujus tangit, is totum tibi hominem tetigiſſe videtur. (*x*) Conſtat

(*u*) *Lib. VI. cap.* 2. *n.* 12. Contumacia eſt ſtudium libertatis, & libido contradicendi Principibus. Vox in Stoicos & Cynicos uſurpata. Vide Tacitum *in vita Agricolæ cap.* 42. Sueton. *Auguſt. cap.* 55. & *Veſpaſ. cap.* 13. Martial. *lib. II. epigr.* 68.

Quod te nomine jam tuo ſaluto,
Quem regem & dominum prius vocabam,
Ne me dixeris eſſe contumacem.

(*x*) Gothofredus *ad l.* 2. *D. de legibus* & Gaſſendus de vita & mor. Epicuri *Oper. Tom. V. pag.* 188. eum Epicureis accenſent, propter Ciceronis verba lib. VII. ad fam. ep. 12. *Indicavit mihi Pauſa meus, Epicureum te eſſe factum.* Sed Tullium ludere, ut in aliis epiſtolis ejusdem libri obſervavit Schilterus *manud. Philoſ. mor. cap.* 1. §. 6. Contra Chriſt. Otto a Boeckelen *de familiis JCtorum pag.*

Digitized by Google

ſtat itaque Juriſconſultos, qui ſub libera republica Ciceronis ætate vixerunt, aut Panætii fuiſſe diſcipulos, aut ſaltem ex Stoicorum fontibus arva ſua rigaſſe.

Verſo in principatum reip. ſtatu, primis Auguſti temporibus una Stoicorum diſciplina, qua ipſe princeps imbutus erat, jurisprudentiam ornabat; mox autem luxuriantibus Juriſconſultorum ingeniis divortia facta ſunt, inque duas itum eſt ſectas. Clarebant tunc ſimul *duo pacis decora*, (y) & ampliſſimæ dignitatis viri, Antiſtius Labeo & Atejus Capito, doctrina pares, ingenio vero multum diſſimiles. Ille quidem vitæ ſeveræ, & ad Stoicam gravitatem compoſitæ, Græcæ eruditionis fiducia, multum innovare inſtituebat: hic, ut erat ingenii ſubſervientis, iis, quæ ab antiquis tradita erant, mordicus inhærebat, & in vitæ actionibus tempori ſerviens, principis auræ plus quam vernili adulatione velificabatur. Hinc cum uterque ad do-

17. Teſtam Stoicum fuiſſe ex *epiſt.* 16. *dicti lib.* conſtare putat. Ego libentius utar argumento *l.* 21. *D. de furt.* quam *l.* recte &, ut ſolet, erudite ad mentem Stoicorum explicuit Vir Clariſſimus mihique amiciſſimus, Nicolaus Hieronymus Gundlingius *in Trebatio injuriis liberato* §. 35.

(y) Tacit. *lib. III. Annal. ſub fin.*

docendum ſe dediſſet, duæ familiæ exortæ ſunt; (z) Labeoni ſucceſſit Nerva, Nervæ Proculus, Proculo Pegaſus; unde *Proculejani* & *Pegaſiani.* Capitonis doctrinam complexus eſt Maſſurius Sabinus, & C. Caſſius Longinus; unde *Sabintani* & *Caſſiani.* Inter hos perpetuæ contentiones & diſſidia, adeo ut veritatem in multis, quam ſectam deſerere maluerint. Proculejani conſtanter a partibus Stoicorum; Sabiniani vero in nonnullis a Zenonis ſchola diſcedebant. (a) Hinc in

(z) Pompon. *l.* 2. *§.* 47. *de Orig. jur.*

(a) Hinc ut ſecta alteri ſectæ addictos Juriſconſultos deridebat, *l.* 10. §. 1. *de neg. geſt. l. pen. in quib. cauſ. l.* 109. *de cond. & dem.* ſic & Stoici Sabinianis infenſi, quo poterant modo, eos ſugillabant. Arrianus ad Epictet. lib. IV. cap. 3. *Hæ ſunt illinc miſſæ leges: hæc edicta: horum interpretem eſſe decet, his parere; non Maſurii, & Caſſii præceptis.* Menagius *cap.* 43. *Amœnit.* & Bertrandus *in vita Sabini* hos JCtos, tanquam præſtantiores, nominari autumant, ceteros ut minorum gentium Deos prætermitti. At qui novit acutum & mordax illud Stoicorum ingenium, is facile nobiſcum faciet. Eodem ſenſu Perſius Stoicus *Sat. V.* de Sabino:

Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetavit.

modo ante dixerat:

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

in variis juris articulis utriusque ſcholæ diſſenſio. In ea quæſtione, an dominus materiæ, an vero is, qui novum opus fecerat, ſpeciei dominus ſit, Proculejani, pro artifice ſtabant: quia a Stoicis acceperant, formam operi facto ſubſtantiam tribuere, non materiam. (*b*) Sabinianis contra videbatur, naturali & civili rationi convenire, ut dominus materiæ fieret dominus ſpeciei. Rurſus in legatis, hereditatibus aliisque ſpeciebus Sabiniani proportionem Geometricam, ſecundum Academicos; Proculejani ſecundum Stoicos Arithmeticam ſequebantur; nam & paria eſſe peccata dicebant, æquales virtutes, nec alium alio magis eſſe ſapientem. (*c*) Pubertatem Casſiani ab habitu corporis, Proculejani autem, perinde atque Stoici, ab anno decimo quarto auſpicabantur: putabant enim animam ſimul cum corpore creſcere, & poſt bis ſeptem demum annorum decurſum perfecte compleri. (*d*) Ecce in his & aliis

Tantum in explicandis Auctoribus refert ſcire nationem!

(*b*) Seneca *epiſt.* 88. (*c*) *l.* 21. *D. furtis l.* 23. *C. de legat.* Horatius *lib. I. epiſt.* 16. Arnobius *lib. VII.* ubi idem Trebatius exiſtimat, ſi quid ſacri faciundi cauſſa de dolio demeretur, totum dolium ſacrum fieri. (*d*) Vlpian. *tit. XI.* §. 28. Plu-

aliis (*e*) Proculejani magis Stoicis ſeſe obſtrinxerunt: quemadmodum autem qui in Sole ambulant, licet inviti, colorem inde ducere ſolent; ſic Casſiani mediæ Jurisprudentiæ inhærentes, multa a Panætio profecta retinuerunt, ut adeo ex Stoicorum claſſe penitus non ſint ejiciendi.

Hæ partium contentiones ſub Tiberio, Caligula, Claudio, Nerone, maxime vero ſub Veſpaſianis, inter Jurisprudentes vehementisſime agitatæ ſunt; poſt Hadrianum autem & Antoninum Pium refrixit iſte diſputandi æſtus, & qui poſthac vixerunt Juriſconſulti, miſcellam profesſi ſunt doctrinam, nullis unius diſciplinæ legibus adſtricti. Alii quidem Proculejanis erant propiores, ut Pomponius & Vlpianus: Sabinianis alii, ut Papinianus & Paulus: omnes vero ea in re Stoicis ſimiles, (*f*) quod, velut erciſcundi & honorarii arbitri, ex pluribus contrariis opini-

tarch. *lib. V. de plac. Philoſ. cap.* 24. Tertullianus *de anima cap.* 38.

(*e*) Quæ diligenter annotavit Merillius *lib.* I. *Obſ. cap.* 20. *& ſeq.*

(*f*) His enim familiare erat μέσην ὁδὸν τέμνειν unde *erciſcundi* dicuntur Servio ad *III. Æneid. verſ.* 68. & Chryſippus *arbiter honorarius* vocatur apud Cicer. *de fato cap.* 17.

opinionibus unam conficerent & ſequerentur. Ariſtotelis libri jam tum in aliquo pretio, multa ab eo mutuati ſunt. Juriſconſulti poſteriores, ejus etiam auctoritate utuntur: ſed ut Homeri, Xenophontis, Ciceronis, Virgilii, Hippocratis & aliorum; nulli unquam exinde Peripateticos fuiſſe perſuadebis. Plane Antonini Pii præceptor, Flavius Arrianus, juratus fuit Stoicus, idem qui ſcripſit diſſertationes ad Epictetum. (*g*) Sub Marco omnes ad Principis exemplum ſeſe compoſuiſſe, vidimus ſupra: Et ecce Vobis Ælium Marcianum, qui tempore Severi, Stoicam ſapientiam *ſummam* appellavit, (*h*) nonne & hunc ſectam, quam extollit, & ex cujus libris definitionem legis depromit, ſecutum exiſtimatis? Titum porro Gajum qui Stoicum negat, hunc inſanum non ſanus juret Oreſtes: naturam enim pro Deo accipit, & partum ancillæ in fructu eſſe, abſurdum putat, quia a Stoicis acceperat, Deum hominum gratia omnes fructus comparaſſe. In Sexto Pomponio, quis unquam inficiabitur, curam, quam

(*g*) Vnde φιλόσοφος Ἐπικτήτειος appellatur a Suida. V. Cl. Jo. Albertus Fabricius biblioth. Græcæ *lib. IV. cap.* 8. alium facit a Philoſopho Juriſconſultum, cujus in Pandectis fit mentio: ſed vide *l. 2. §. 1. D. de jure fiſci.* (*h*) *l. 2. D. de legib.*

quam habuit, verborum, commendationem patriæ, conſulatus contemtum, & genus illud corporum, quod *uno ſpiritu* contineri ſcripſit, mentem Stoicam indicare? (*i*) Sapientisſimus Papinianus, niſi ſanguine ſuo præclaram Stoicorum conſtantiam obſignaſſet, vel hoc ſectam proderet, quod beneficio affici hominem, hominis intereſſe ait, quodque partum nondum editum, latens viſcerum maternorum onus, ſpem tantum animantis, non hominem eſſe, agnoſcit. De Vlpiano, JCtorum coryphæo, præſtat tacere, quam pauca loqui, tot tamque illuſtria hujus diſciplinæ veſtigia in fragmentis ejus ſuperſunt. Mentiar, niſi plus decem in unico titulo de juſtitia & jure reperiuntur. Florentinus ibidem cognationem a natura inter omnes conſtitutam commendat, quod purum putum Stoicum eſt. Et ſingula quid referam? Idem principium, idem finis, eadem omnium doctrinarum radix apud Stoicos, quæ apud Juriſconſultos. Capitalis hæc illorum erat ſententia: Solum bonum eſſe quod honeſtum; & primum juris præceptum eſt: Honeſte vivere. Illi virtutem

R con-

(*i*) Vide B. H. Reinoldi, Anteceſſoris Viadrini, civis & amici mei Clariſſimi, Orationem eruditiſſimam de Sexto Pomponio pag. 22.

conſtantia metiuntur, & noſtris Juſtitia conſtans definitur & perpetua voluntas. Illis fides ſummum eſt humani pectoris bonum; noſtri etiam nil tam congruum fidei humanæ habent, quam ea, quæ inter homines placuerunt ſervare; nil eſſe gravius, quam fidem fallere, inculcant. Vtrorumque ſancta illa, & tantum non Chriſtiana vox ubivis reſonat: Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & contra bonos mores ſunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt. Dies me deficeret, ſi omnia dicendi genera, regulas & principia, e Porticu deducta, adferre & explicare vellem; Summus in libris noſtris libertatis favor, odium ſervitutis, infantiæ ac pubertis terminus, dolus bonus, *ἀυτοχειρία*, uſuræ natura non provenientes, ſpiritus cuncta permeans, naturalis motus arboris, pœna abacti partus, expoſitio infantum, vir bonus, fatum, vis divina, & ſexcenta id genus alia, a Stoicis promanarunt; quorum explicationem qui illotis manibus aggrediuntur, næ! illi non aliter agunt, quam ſi dent operam, ut cum ratione inſaniant. Ne primæ quidem, quas dupondius ediſcit, definitiones juſtitiæ, jurisprudentiæ, juris naturæ, libertatis & ſervitutis, ſine hujus Philoſophiæ luce intelligi aut recte explicari poſſunt.

Digitized by Google

I nunc, Paganine Gaudenti, & veteres Juriſconſultos a Stoicis non eſſe imbutos, porro contende. Ite nunc Ariſtotelis amici, & ex Ethicis veſtris Romanum jus, ſi Diis placet, illuſtrate. Ite cauti, & diſcite, qua via ad ſecretiora ejus adyta ſit eundum. Huc etiam adeſte priſcæ Philoſophiæ hoſtes, leguleji & formularum cantores, qui legum & paragraphorum cognitione juris ſtudium abſolvi, putatis: adeſte & cernite, qua domo profluxerit ſanctiſſimus juris noſtri theſaurus, & quibus ſubſidiis opus ſit, ad veterum fragmenta recte explicanda. Vos denique hic notandi eſtis vitio creati jurisprudentiæ Cenſores, qui omnem Romanorum diſciplinam, tanquam reip. noſtræ non modo inutilem, & pernicioſam, immo ut litium formitem, e foris noſtris eliminandam, ad ravim usque clamatis. At vero illa non eſt inventum hominum otioſorum, non vana atque inania præcepta ejus auctores ſecuti; ſed ſancta, recta, fortia, a Chriſtianorum regulis haud longe aliena. Erravit in multis Stoicorum ſchola; fatuum eſt eorum fatum; providentia anus fatidica; ambitio & μεγαλῃγορία, quæ tam ſollicitos eos habuit, inanis mentium fuit ſagina; hominum animas falſo docebant ex ipſa Numinis ſubſtantia ortas; naturæ & fortunæ mu-

nera bonis annumeranda ſine ratione nega-bant; in doctrina circa voluntatem peccarunt in exceſſu & defectu; perperam æqualia dixe-runt peccata; peſſime deinceps ἀυτοχειρίαν, παιδεραστίαν, & quosvis inceſtus, tanqum res medias, permiſerunt. (*l*) At cogitemus, ho-mines eos fuiſſe, non deos, erraſſe & alias ſe-ctas; nec mirum, ethnici de Deo & mentis immortalitate non ſatis erant certi, unde o-mnia eorum dogmata, præclara licet & ſplen-dida, lubrico fundamento innitebantur. Ne-que omnibus in Porticu eadem de illis ſen-tentia ſedit. Aliter Diodoto, aliter Chryſip-po, Philoni aliter placebat: Herillus & Ari-ſto multum ab Zenone, præceptore ſuo, di-ſceſſerunt; Poſidonius ſectam deſerere ma-luit, quam veritatem; & Athenodorus in bibliotheca Pergamena e libris eraſit, quæ male a Stoicis dicta eſſent. Abſit igitur, ut ob Zenonis & Chryſippi impias quasdam & ridiculas doctrinas, totam ſectam inſecte-mur; ipſo Zenone nemo vixit continentior, aliaque is & ejus diſcipuli principia vivendi, alia diſſerendi, habuerunt. Paradoxa eorum prima ſpecie miranda & incredibilia viden-

tur:

(*l*) Vide omnino Plutarchi duos libellos, qui-bus contra Stoicos pugnat, & J. Franc. Buddei V. Cl. *Exercitationes IV. de erroribus Stoicorum.*

tur: at ſi curatius ea inſpexeris, non niſi verborum inſolentia oculos mentemque offendunt. Cicero in oratione pro Muræna ceu duriora & aſperiora ea perſtringit, quam quidem natura aut veritas patiatur: ſed tempori & inſtituto tum ſerviebat callidus orator, ut Catoni Stoico invidiam moveret, qui in petitione Conſulatus Murænæ vehementer adverſabatur; & bene eſt, quod ipſe alibi (*m*) fatetur, aliquid coronæ datum eſſe. Sed hæc, & quæ alia pro Paganino adferri poſſunt, Deo volente, fuſius in diſſertationibus noſtris ex hoc loco diſputabimus. Nunc ſufficit conſtare, id quod demonſtrandum ſuſcepimus, Stoicam Philoſophiam plurimum Romæ valuiſſe, eam Juriſconſultorum ſtudiis fuiſſe accomodatam, & plerorumque horum fragmenta Stoæ doctinas redolere.

Quod igitur ſupereſt, ad Vos me converto, omnium facultatum Profeſſores Clariſſimi, Collegæ atque Amici honorandi. Stipes ſim, niſi læter, & maximo mihi honori ducam, in Ampliſſimum Ordinem veſtrum adſcitum iri; cujus ſingularia in Eccleſiam, in Rempublicam, inque bonas litteras merita

(*m*) Lib. IV. de Finib. cap. 27. *Cum L. Murænam te accuſante defenderem, apud imperitos tum illa dicta ſunt; aliquid etiam coronæ datum.*

Orbi erudito patent, mihique jam dudum ſunt perſpecta. Valedixit Vobis pridie hujus diei Reinoldus veſter, Vir ingenii & eruditionis gloria clariſſimus, Vir omnibus carus, mihi vero propter communem patriam, & communia ſtudiorum ſacra ab antiquo conjunctisſimus. Quod ſi eundem, quo ille gavisus eſt, amorem a Vobis impetrare potero, nil erit, quod amplius optem. Eadem certe modeſtia, facilitate & continentia, ſi non pasſibus æquis, quacunque tamen ratione, Vos demereri conabor; nec ſciens committam, ut benevolentiæ veſtræ Vos unquam pœnitere queat. Tecum præcipue Juris-conſultisſime Summermanne, quem mihi arctiore neceſſitudinis vinculo jungit ejusdem muneris ac laboris ſocietas, Tecum ita vivam, ita valeam, pacem & concordiam religioſe colere, fixum immotumque animo ſedet. Sint procul a nobis arma infeſta, & leta minantia telis. Mihi prius hæc exſcindatur lingua, quam ut rixis aut inani velitatione otia Tua, Veſtra, aut cujuscunq; alterius non laceſſitus turbem, quæ ſanctiſſimis Muſis Themidique ſunt dedicata. Juliani Imperatoris aureum illud præceptum: (n) *Magiſtros ſtudiorum Doctoresque excellere oportet moribus*

(n) In *l. 7. C. de Profeſſ. & Med.*

bus primum, deinde facundiæ, ſemper apud me valebit. Vos idem ſi obſervare pergetis, novis auctibus quotidie floreſcet hæc bonarum artium officina; templum hoc concordiæ, pietatis & ſapientiæ ſedes erit, in quo virtutis veſtræ monumentum ſtabit ære perennius, quod nec imber edax, nec Aquilo impotens, nec fuga temporum, deſtruere poſſit.

Nunc tandem & Vos compello, Nobiliſſimi atque Ornatiſſimi Domini Studioſi, o cara mihi pectora! præſertim, qui ſacris noſtris eſtis initiati. Veſtrum cauſſa Clementiſſimus Rex hunc publici Doctoris locum me occupare juſſit: Vobis etiam ab hoc tempore meæ curæ, mei labores, vigiliæ meæ ſunt conſecratæ. Audiviſtis, quam arcto connubio Philoſophia moralis & juriſprudentia ſint conjuncta: cavete igitur, ne, quod ſtolidiſſimi olim Trimalcionis tumulo inſcriptum refert Petronius, idem & titulis veſtris inſcribi poſſit: *Nec unquam Philoſophum audivit*. Paullo rectius Trioptolemus apud Ennium ſuadebat: *Philoſophandum eſſe paucis*. Vos autem veterem illam & regiam in ſtudiis veſtris inſiſtite viam, quam Tuberones, Rutilii, Scævolæ, Sulpitii, ceterique Heroës, nati melioribus annis, tenuerunt.

Digitized by Google

Hi quippe ad civilem ſapientiam non accedebant, niſi largo philoſophiæ flumine eſſent inundati. Hæc illis Amalthea cornu erat, ex quo, quicquid libebat, in uſum ſuum depromere licebat. Hæc etiam eſt germana Jurisprudentiæ ſoror, lex vitæ, quæ nunc adoleſcentiam veſtram alit, olim ſenectutem oblectat, ſecundas res ornat, adverſis perfugium ac ſolatium præbet. Sine hac quid, quæſo, omnis hæc vita veſtra? Nonne mors & ſpurcum cadaver? Finis inſtar fabulæ, quam agitis; & aliquando ſcenæ hujus vela erunt complicanda. Stoicos igitur Vobis imitandos proponite, viros graves, viros ſanctos, boni & æqui cuſtodes; cum his ſtudiorum veſtrorum certum finem concipite, miſeriſque viatica canis. Ab his (o)

Diſcite mortales, & cauſſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus & unde,
Quis modus argento; quid fas optare, quid aſper

Uti-

(o) Perſius *ſat. III.*

Utile nummus habet: Patriæ cariſque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus eſſe
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re.

Hæc ſi bene imbiberitis, ad ſacra noſtra accedite. Leve Vobis erit, quod a pleriſque, tanquam ingens ſaxum, volvitur, Juris corpus, & cum Scævola affirmabitis, nullius artis, quam Juriſprudentiæ, ſcientiam videri faciliorem. Cottam accepimus eodem die, quo togam virilem ſumſit, Carbonem poſtulaſſe: Plinius ipſe refert, ſe adoleſcentulum cauſſam Julii Paſtoris egiſſe: Celſus quoque adoleſcens de Jure ſcripſit, & Nerva filius anno ætatis ſeptimo decimo publice de Jure reſponſitavit. Vos etiam, ſi horum exemplo doctrinam de moribus, Dialecticam, Grammaticam, Hiſtoriam & Antiquitates præmittetis, facile & mature cognoſcetis ea, quæ alii toto vitæ ſuæ tempore vix credendis laboribus raro aut numquam aſſequuntur. Me non moroſum patruum, ſed ducem habebitis, comitem & familiarem. Limpidos Vobis propinabo juris Romani, juris profecto ſancti & æqui, fontes; in ipſa Themidis penetralia Vos deducam; nec leges tan-

tum, ſed & earum uſum, vim & poteſtatem Vos tenere docebo. Sic itaque, cariſſimi Commilitones, me totum, Veſtris commodis unice intentum, nunc accipite; & vosmetipſos tam diligentes oſtendite, ut neceſſariis aliquando dotibus inſtructi, Reip. Rectores, Regum ac Principum Conſiliarii, Judices, Doctores, cauſſarum Patroni evadere, & glorioſæ vocis confiſi munimine, in publicis privatisque rebus lapſa erigere, fatigata reparare, laborantium ſpem, vitam & poſteros tueri queatis. Virtus, credite mihi, repulſæ neſcia ſordidæ, intaminatis fulget honoribus!

DIXI.

ORA-

ORATIO SECUNDA,

DE

VERA, NON SIMULATA, JCTORUM PHILOSOPHIA

HABITA TRAIECTI A. D. XVI. SEPTEMBR. M DCC XXII.

Digitized by Google

ILluxit nobis iterum, Auditores, omnis ordinis, loci & dignitatis honoratiſſimi, illuxit nobis, inquam, anni litterarii dies auſpicatisſimus, quo Muſarum delubra reſerantur, & docentes, pariter ac diſcentes, ad munia revertimur feliciter. Vulgus gentilium ſuperſtitioſorum omnia principiis ineſſe rebatur; ideoque ab avibus ſigna, a deorum ſimulacris auxilia petebat. Rectius Sapientes ignavum bubonem, & ſiniſtros corvorum volatus riſerunt, modo rerum agendarum primordia a Diis immortalibus caperentur. Veteres Romani nihil magnum, in bello vel pace, publice aut privatim inchoabant, niſi ſolenne illud carmen, Quod bonum, felix, fortunatumque ſit, eſſent præfati. Quotquot magiſtratum inibant, aut novum opus ſuſcipiebant Quirites, leviter aliquid primo die delibabant; ne totus annus, totumve opus ab auſpicio iners cenſeretur. Conſules quum annum ſuum aperiebant, ſolennia ludebat omina libertas, lætumque tribunal auſpice clamore reſonabat. Prætor Kalendis Januariis, ſumta prætexta, & ſacrificio in Capitolio facto, conſcendebat roſtra, ac more

Digitized by Google

more majorum, quid mereri vellet, quæve in jure dicundo obſervaturus eſſet, proponebat. Ipſe Cajus noſter, (*a*) legum vetuſtarum interpretationem facturus, non modo cujusque rei partem potisſimam principium vocat; ſed illotis manibus protinus materiam interpretationis tractari vetat; quia præfationes iſtæ & lubentius nos ad attentionem materiæ proponendæ producunt, & cum ibi venerimus, evidentiorem præſtant intellectum. Hujus prudentisſimi viri præceptum ſecuti ſunt varii in Germania, Gallia & Italia Profeſſores, qui in veſtibulo prælectionum ſuarum rationem inſtituti cum ejus, quam tradituri erant, diſciplinæ laude conjunxerunt. Sed dum quisque merces venales extollebat, omnium auctoritas elevata eſt; tepuitque tandem mos non ſpernendus, poſtquam minus morati, circulatorum inſtar, ex vicinis theatris, tam doctrinas, quam earum doctores, mutuis convitiis proſciderunt. Abſit vero, abuſus tollat uſum conſuetudinis laudatisſimæ, quæ & ad augendam artium dignitatem, & ad animos juvenum inflammandos, ſuſcepta eſt. Magnus ille Antonius Matthæus, inde usque ab ipſis illuſtris hujus Academiæ incunabulis, ſolenne hoc plus ſemel

(*a*) *In l. 1. de Orig. jur.*

mel ſervavit, ejusque clariſſimi ſucceſſores haud unius exempli imitationem nobis prodiderunt.

Non equidem a duplici munere tantum mihi otii ſupereſt, ut ingenium in Rhetorum ſcholis exerceam: neque adeo me vexat philautiæ tentigo, quin ſentiam, tenuitatem meam vix quicquam doctis auribus dignum proferre poſſe. Interſtrepit tamen anſer olores aliquando, & quidni quælibet arriperetur occaſio, celebrandi munificentiam Ampliſſimorum Academiæ hujus Curatorum, iisque ex vetere formula apprecandi, ut annare & perennare poſſint in publicum bonum? Vobis autem, Viri Celeberrimi, Collegæ conjunctiſſimi, non poſſum non, erumpente lætitia, gratulari raram temporis felicitatem; qua pars vegeta ſenecta, pars virili ætate, omnes feſti atque valentes, ſacras has ædes reviſimus, dumque alibi conſcientiæ libertas proſtrata jacet, alibi litteræ mœrentes in exilium pelluntur, nos in pace & amore litterarios conventus celebramus: id quod ut vobis & mihi ſæpius contingat, votis conceptis opto.

Quam vellem autem, ceteri omnis ordinis Auditores, tale in præſens elegiſſem legalis orationis, ut Zaſius vocabat, argumentum,

tum, quod huic tempori, loco & perſonis eſſet accommodatum, quodque, præter animi delectationem, utilitate ſeſe commendaret! Bonum, opinor, factum erit, ſi hoc ipſo die, quo juris Naturæ & Publici explicationem aggreſſurus ſum, *de Vera, non ſimulata, Iurisconſultorum Philoſophia* dicam, & telam, quam alibi exorſus ſum, pertexam. Enimvero veteres Juriſconſultos a Stoicis præcipue imbutos eſſe, olim publico ſermone, adverſus Paganinum Gaudentium, oſtendi; ſupereſt, ut quibus in partibus rigidam magiſtrorum diſciplinam viri ſummi, & juris auctores, deſerendam exiſtimarint, ediſſeram: id quod haud commodius fiet, quam ſi vera ſapientia a ſimulata diſcernatur. Nil præterea Inſtitutionum explicationi aptius præmittetur, quam invidendum illud & magnificum ordinis noſtri elogium, quod Vlpianus, ſtatim ſub initium libri primi Inſtitutionum, ſibi ſuisque ſociis ſuſpendit. Quid denique recitationibus publicis, de differentiis Juris Civilis & Canonici, nec non de Originibus præcipuarum juris Eccleſiaſtici materiarum, magis erit accomodatum, quam Sacerdotium juris? quod Juſtinianus Imperator, ſeu Pandectarum

archi-

Digitized by Google

architecti, valvis & portis ſanctiſſimi Juris-prudentiæ templi inſcripſerunt. Verba Vlpiani ſunt, quæ ſequuntur: (*c*) *Iuris merito quis nos Sacerdotes appellet. Iuſtitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur: æquum ab iniquo ſeparantes: licitum ab illicito diſcernentes: bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione, efficere cupientes; veram, niſi fallor, Philoſophiam, non ſimulatam, affectantes.*

En fundum ſermonis pulchrum omnino, & varia obſervatione fecundum, in quo excolendo decora ingenia, cum in commentariis ad Pandectas, tum in libris ſingularibus elaborarunt. (*d*) Magna plerorumque horum

---

(*c*) In *l.* 1. *pr D. de Juſtitia & jure.*

(*d*) Ludovicus Malquytius, *de vera non ſimulata JCtorum Philoſophia*, *Paris. A.* 1626. Ernſtius & Brandes, *de vera & ſimulata JCtorum Philoſophia.* Majore ingenii & eruditionis copia Vbertus Folieta, *de Philoſophia & juris civilis inter ſe comparatione*, *Romæ A.* 1555. Hopperus & Conringius *de vera Jurisprudentia.* Sed his alius, quam nobis, fuit ſcopus. Petrus Faber multa, ad illuſtrationem hujus *l.* 1. pertinentia, in medium protulit; ut tamen ſpicilegium, haud contemnendum ex temporis conſideratione, quo Vlpianus hæc ſcripſit, & ex hiſtoria Philoſophica nobis ſuperſit.

Digitized by Google

rum apud me auctoritas eſt, & ingenui pudoris erit laudaſſe, per quos profecerim. Niſi tamen me omnia fallunt, non pauca adhuc in publico relicta ſunt, quæ quum nemo occuparit, jure communi mea faciam, Veſtroque judicio ſubmittam. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia ranam: mihi princeps cura erit, atrox cenſuræ telum ſubmovere ab Vlpiano, viro ſapientiſſimo, &, larva Stoicis detracta, ſimulatam eorum in multis demonſtrare contemplativam diſciplinam, præ activa & maſcula Philoſophia, quam Juriſconſulti ſunt ſecuti. Quis enim tam ferreus eſt, ut ſe teneat? quam nonnulli, ſine ſuffragio populi Ædilitatem gerentes, indignantur, & clamant: Domitium, deſultorii ingenii hominem, pomœria artis ſuæ extendere ultra fines; ſacros eum movere doctrinarum terminos; Sacerdotes ipſum in triumphum ducere, Philoſophis ſapientem barbam vellere, & ſuum denique ſtudium reliquis anteferre, quo ambitioni vel avaritiæ ſuæ velificaretur.

Ne contra turbam inſtituta diſputatio in incerto vagetur, patronum obtrectatoribus dabo Adrianum Turnebum, (e) Criticorum

S pa-

(e) *lib.* VIII. *Adverſ. c.* 20.

patrem, qui Vlpianum ambitioſe, ait, affectare ſapientiæ munus, quo ejus ornamento arti ſuæ decus quæreret. Sapientiam, pergit, rerum divinarum & humanarum cognitionem eſſe; hanc ipſum in Jurisprudentiæ definitione Philoſophis adimere, ſuis tribuere. In contumeliam denique Theologorum, & invidiam Philoſophorum interpretatur, quod Jurisconſultos ſacerdotes, & veræ non ſimulatæ Philoſophiæ cultores appellavit. Nec prorſus ſpernenda videtur cenſura, quæ & alio textu, & patria, & genio Domitii mordace, & moribus ejus adjuvatur. Alibi enim idem Vlpianus, Philoſophos numero Profeſſorum habendos eſſe, negavit. (*f*) Deinde ex colonia Tyriorum ſibi originem eſſe, ipſe profeſſus eſt; hi vero, perdita audacia, velut omnis Muſæ mancipia, ſeſe Romæ nunc efferrebant, licet nullam Philoſophiæ partem attigiſſent; bilingues erant, & Punica fide mercabantur. (*g*) Scipio Gentilis porro, at ipſe Jurisconſultus, non tantum ex Vlpiani fragmentis, ſed ex ſin-

(*f*) *L.* 1. §. 4. *D. de Extraord. cogn.*

(*g*) *L.* 1. *D. de Cenſibus.* Virgilius *Tyriosque bilingues*, id eſt fallaces vocat *l.* 1. *Æneid.* 651. Juvenalis Phœnicum *πολυμαθειας* profeſſionem, Romanis moleſtam, perſtringit Sat. III. 75.

ſingulis quoque Athenæi paginis animum ejus cavillis deditum elucere faſſus eſt, eamque putavit cauſam eſſe, cur a Cynicis, quos interrogatiunculis vexavit, Σοφιστὴς & κοιτυκειτος appelletur. (*h*) Idem denique ſceleratiſſimus creditur eſſe homicida, omnibus bonis deteſtandus, qui non modo Chriſtianos *impoſtores*, & codices eorum ſacros *libros improbatæ lectionis*, appellare auſus, ſed & libro VII. de Officio Proconſulis reſcripta Principum nefaria collegit, ut Proconſules & Præſides provinciarum doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores veri Dei profiterentur. (*i*)

Verum enimvero non ſinat alma Themis, indicta cauſa, arrogantiæ & vanitatis damnari caſtiſſimum juris interpretem, virum modeſtiſſimum, & ſæculi ſui decus; qui nihil in vita, niſi laudandum aut fecit, aut

S 2 dixit,

--- *Ede, quid illum*
Eſſe putes? quemvis hominem ſecum attulit ad nos:
Grammaticus, Rhetor, Geometres, pictor, aliptes,
Augur, Schœnobates, medicus, magus, omnia novit.

(*h*) Athenæ. *lib.* III. *c.* 18. 19. Gentil. *lib.* I. *Parerg.* 6. (*i*) Lactant. *l.* V. *Div. Inſt.* *c.* XI.

dixit, aut ſenſit. Apage tam fœdam protervitatem a virorum principe, qui virtuti ſacramento dixerat; quem Heliogabalus, impuriſſima beſtia, removit, *ut virum bonum:* qui veram quoque, cui ſemper litaverat, Philoſophiam, morte non ſicca confirmavit. (*l*) Non thraſo, non Pyrgopolinices Vlpianus fuit, ſed Juriſconſultorum κορυφαῖος, vir præſtantiſſimus, ſapientiſſimus, & prudentiſſimus, haud uno publico munere functus. Ad extremum vero Prætorio Præfectus, Pater, Amicus, & Tutor Alexandri Severi, qui ideo ſummus Imperator fuiſſe dicitur, quod hujus conſiliis præcipue Rempublicam rexit. (*m*) Nil ſane cauſæ erat, cur is diſciplinæ ſuæ, aliarum obtrectatione, famam aucuparetur, qui vel privato in limine perpetuus populi Prætor fuiſſet, ſed ad cujus

(*l*) Lamprid. *Heliog. c.* 16. Dio Caſſius *lib.* 80. Jacobus Lectius, magna facundia, vitam & ſcripta Vlpiani duabus orationibus enarravit: ſed jungendus ei eſt Clariſſ. Schultingius, in notis ad vitam Vlpiani, a Bertrando & Grotio conſcriptam.

(*m*) *L.* 2. *§. ult. l.* 4. *in fin. D. de Excuſ. tut. l.* 4. *C. de Contr. vel comm. ſtip. l.* 11. *C. de Quæſt. Nov.* 97. *c.* 6. Spartian. *in Nigro. c.* VII. Lamprid. *in Alexandro c.* 26. *&* 51.

cujus nutum mox triginta tremebant legiones, quibus gubernacula imperii geſſit. Nunquam certe metachroniſmi notam effugient, qui Vlpianum, loquacem Rhetorem apud Athenæum, cum noſtro confundunt. (*n*) Injuria quoque eum, tanquam profeſſum nominis Chriſtiani hoſtem, a ſumma & imis paſſim perſtringi, nuper oſtendi, (*o*) nec ad quæſtionem præſentem id valde pertinet. Atque ideo hæc ſufficere poterant retundendis illis, qui de Vlpiano, haud ſecus quam de ſcurra e trivio, aut Græculo eſuriente, aut Munna, jus trium diſcipulorum captante, loquuntur.

Sed quia Turnebi aſſeclæ in his nondum

(*n*) Eundem errorem erravit Cujac. xxiv. *O.* 39. ſed alius fuit Sophiſta Vlpianus, alius JCtus; uterque Tyrius, ſed diſpares ætate. Ille Pancratem Poëtam, qui floruit ſub Hadriano, notum ſibi fuiſſe affirmat; hic pleraque imperante Caracalla ſcripſit, & a Prætorianis Alexandri occiſus eſt. Vide argumentum, ab antiquo epitomatore Athenæo præfixum; & Hieronymum Wolfium, ad Demoſthenicos Vlpiani commentarios, in princ.

(*o*) In diſputat. *de Statu Judaeorum publico, ad l.* 3. §. *fin. Decurion. c.* 1. §. 5. 6. Vide Mirillium *lib.* v. *Obſerv. c.* 22. & Marcum Caſaubonum *ad lib.* 1. *Antonini pag.* 386.

Digitized by Google

acquieſcent, res paullo altius repetenda eſt; atque ut via & ordine noſtra proficiſcatur oratio, primum Philoſophi exiſtimationem Ulpiano ejusque ſymmyſtis breviter comparabo: dein veram eos Philoſophiam non modo affectaſſe; ſed & tanti nominis menſuram impleviſſe, poſtremo loco oſtendam. Quo facto, laus modeſtiæ, & ſummus honos Ulpiano ſurget, unde oſtentationis infamia ei parabatur. Dicendi genere humili, & juridico, aut ſi mavultis, philoſophico utar. Ita laudabo Juriſconſultos, ut veros, quos veneror, Philoſophos, honore & cultu ſuo non defraudem; ſimulatores autem quosvis, Tros Rutulusve ſuat, vivis coloribus depictos & variegatos, ſiſtere conabor. Vos, quæſo Auditores, aures mihi benevolas præbete.

Omnes artes ſcientiasque cognatione inter ſe connecti, & ſororio quaſi vinculo conjungi, omnis ætatis Sapientes tradiderunt, & nemo noſtrum cotidie non experitur. Græci amœnum illum variæ diſciplinæ concentum ἐγκυκλοπαιδείαν, Romani *orbem doctrinarum* vocarunt. (*p*) Quemadmodum vero iter per orbem terrarum facientes, qui-

bus.

(*p*) Quintilian. *lib.* I. *Inſtit.* c. 10. Vitruv. *lib.* I. c. I. & *lib.* VI. *præfat.*

buſdam in locis prandendi cauſa tantum commorantur, in aliis pernoctant; alibi pluſculos dies conſiſtunt, tandemque in patriam reverſi, penates ibi & ſedem fortunarum figunt. Sic etiam eos, qui litteris operam navant, in quibusdam brevius, in aliis diutius immorari oportet: & alias quidem delibare, has integras perdiſcere, atque ad eas exornandas & poliendas omnia referre. Apud Hebræos legis divinæ ſtudium, præter Theologiam contemplativam & activam, jus tam civile, quam Pontificium, etiam hiſtorias veteres comprehendebat. Simili eruditionis varietate inter alios Romanos commendantur Nigidius Figulus, & Terentius Varro: nos Senecam Philoſophum, & naturalis hiſtoriæ ſcriptorem Plinium, ex ſcriptis, quæ ſuperſunt, admiramur. Eandem quoque viam ingreſſi ſunt, quotquot veterum Juriſconſultorum per gloriam vivunt. Servium Sulpitium omnis doctrinæ ſtudioſum fuiſſe accepimus: Antiſtius Labeo in omnes diſciplinas penetravit. Maſurius Sabinus in vario ſcientiarum genere diligenter fuit verſatus: in uno Ariſtone omnes bonæ artes ſummum periculum adiiſſe videbantur. (*q*)

(*q*) Vide Ciceronem *lib.* III. *de Oratore c.* 33.

Nemo autem Juriſprudentum tanta Phyſicarum, Medicarum, Politicarum, œconomicarum, etiam exoticarum rerum ſcientia clarus fuit, quam noſter Vlpianus. (r) Si titulos Pandectarum de Re militari, Ædilitio edicto, de Tritico, de Auro & argento, de Penu, de Inſtructo vel inſtrumento legato, aliosque percurras, omnem rem bellicam, forenſem, medicam, inſtitoriam, ruſticam, urbanam, fabrilem, veſtiariam, nauticam & unguentariam eum calluiſſe deprehendes. Nulla, illius ætate, de termino moto actio erat inter eruditos; nullus Prætor de jurisdictione cognoſcebat. Propter inertiam multorum, & exigua naturæ præſidia, tum quidem plures artes erant conſtitutæ: & ſatis decantatum erat, eum, qui ubivis eſt, nullibi eſſe; fabrilia fabros tractare debere: ſed qui in Rep. excellere volebat, omnia, quæ a ſapientibus tradita fuerant, ſummo ſtudio & cura

& IV. *ep.* 3. Gel. XIII. *c.* II. Athenæi *argumentum*, Plin. *lib.* I. *ep.* 22.

(r) *Vlpianus præ ceteris erat* πολυιδρις καὶ πολυιςορ, *omniumque & politicarum, & œconomicarum, etiam minutiſſimarum, rerum & ſcientia & uſu callentiſſimus, ut paſſim in toto jure leges ejus oſtendunt*, ſcribit Carolus Molinæus *in tractatu commerciorum n.* 775.

cura diſcebat; omnium rerum, quæ libero homine ſunt dignæ, una credebatur eſſe doctrina, unus contextus diſciplinarum. Qui Juriſconſultus, idem Theologus; idem rerum divinarum & humanarum peritus. Humani autem ingenii imbecillitas, & breve vitæ ſpatium, & longa ſingularum artium cognitio, excellentia quævis ingenia monebat, ut a potiore diſciplina, in qua conſenuerant, tantum nominari voluerint.

Inter ceteras autem artes liberales, quas humana ratio comprehendit, Philoſophia principatum tenere viſa eſt Juriſconſultis; ideoque non ab Edicto Prætoris, neque a legibus XII. Tabularum; ſed penitus ex intima Philoſophia, juris artem hauriendam eſſe exiſtimarunt. Hi omnes, quæ Philoſophiæ tribuuntur partes, naturalem, quantum ſatis erat; diligentius rationalem, Politicam & œconomicam; diligentiſſime moralem ſunt complexi. Hæc nimirum germana Juriſprudentiæ ſoror eſt, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, quæ eosdem habet fontes, qui legibus & jure civili continentur. Logicus ſi de triangulo diſſerit, Geometræ munus invadit: Rhetor, res divinas tractans, aliud agit, quam debebat. Verum ſi Theologis Philoſophiæ inſidiari licet; ſi Medici rerum

naturalium ſcientia ſe carere non poſſe profitentur; quod malum noſtri ordinis homines ab illa omnium artium matre arceat? Profecto Juriſconſultus, Philoſophiæ deditus, tantum abeſt, ut in alienas poſſeſſiones irruat, ut nomen ſuum tueri non poſſit, niſi largo ſapientiæ illius flumine ſit inundatus, quæ vitæ uſum tradit, mores ad honeſtatem componit, & officia ſocietatis humanæ diſpenſat. Ite per omnes reſpublicas, legum æquitate celebratas; & maximos quosque legislatorum Philoſophos fuiſſe, legumque interpretes philoſophatos eſſe, liquebit. Athenas & Spartam, duos illos Græciæ felicis ocellos, intueamur: nonne ibi Solon, hic Lycurgus, ſolius Philoſophiæ ope viam ad ſubigendos animos feroces muniverunt? Quid Zaleucus & Charondas? quid ceteri Rheginorum, Locrenſium & Thuriorum legislatores? nonne in tacito illo Pythagoræ receſſu ſeſe præpararunt, priusquam jura darent, quibus immortalem gloriam ſunt conſecuti? Maneat ergo æternum jurisprudentiæ cum Philoſophia connubium; & valeant ignaviæ magiſtri, qui divortio pernicioſo ſeparanda contendunt, quæ individuo nexu ſemper conjuncta

cta fuerunt, & porro a veris juriſconſultis conjungentur. (s)

Videamus autem, quid impulerit Cenſores Vlpiani, ut nimis magnifice putarint ab eo dictum eſſe, Juriſconſultos Philoſophiam affectare. Hi ſcilicet maturos illos & conſummatos veteris Romæ Prudentes componunt cum modulo eorum, qui neglectis laborum gradibus, prout amores vel ambitus ſuadent, biduo ſe juriſconſultos profiteri non erubeſcunt. Alii forſam juriſperiti officium arctisſimis finibus concludi arbitrati ſunt; ſcribendo, reſpondendo de ſtillicidiis, anteſtationibns, vagulationibus, de rivis, glande legenda, aliisque ejusmodi contemtis rebus, ad quas Philoſophus ſtatim nauſeet, divinioribus tantum adſuetus. (t) Verum niſi præjudiciis mens horum occupata ſit, levi negotio ad proprii erroris confesſionem eos adi-

(s) Non repeto, quæ ſupra dixi, *Orat.* 1. Sed addo Horatium *Arte poet.* de vetuſtiſſima Philoſophia Poëtica:

- - - Fuit hac ſapientia quondam
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri; leges incidere ligno.

(t) Cicero I. de LL. *Quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de ſtillicidiorum &*

adigam. Num enim parva cuiquam eruditio videri poteſt, de omnibus rebus, quæ in hominum controverſiam cadunt, jus tenere, & rationem eas dijudicandi habere perceptam? Ergone vile aliquod artificium eſt jus civile, rebus tranquillis turbandis, aut crumenis hominum impune emungendis inventum? quod in gyrum rationis deducit mortales, rebus ſecundis efferatos; ſocietates tuetur, & res cunctas æquis imperiis diſpenſat. Itane tandem quæſtuoſum magis, quam ſalutare eſt Juriſconſultorum munus? qui conſultoribus formulam, haſtas patronis, judicibus rectum & bonum, Prætori æquitatem ſubminiſtrabant: ad quos ſic adibatur, ut non modo de univerſo jure, verum de omni officio ad eos referretur. Latiſſime profecto, per omnem ſocietatem humanam, manat juris interpretatio, nullaque vitæ pars, domi foris; pace & bello; in divinis & humanis; publicis & privatis, neque ſi tecum agas aliquid, neque ſi cum altero contrahas, ejus munere vacare poteſt. Hæc ſuum cuique tribuendum, patriæ & parentibus parendum, fidem

de parietum jure? aut ut ſtipulationum & judiciorum formulas componam? Quæ & conſcripta ſunt a multis diligenter, & ſunt humiliora, quam illa, quæ a vobis exſpectari puto.

Digitized by Google

fidem in conventionibus ſervandam eſſe jubet. Hujus cognitionem viri principes ſemper in poſſeſſione ſua tenuerunt, quod plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, multaque ſtudia pariebat. Et tu, quisquis es denique, tolle leges, & vincula revelles vitæ communis; aufer jura, & vide, quid ſint dominia rerum? quæ vis obligationis? quis exitus ultimæ voluntatis? Nihil erit, quare exploratum cuiquam eſſe poſſit, quid ſuum vel alienum ſit, quid pater liberis ſit relicturus, quid filius a patre ſeparare poſſit. Omnia incerta ſunt, ſimul a jure receſſum eſt. *(u)*

Satis jam ex vultibus veſtris colligere videor, Auditores, inter omnes conſtare, non utiliter modo, ſed neceſſario Philoſophiam cum Jurisprudentia copulatam fuiſſe olim, & ho-

(*u*) Egregie Cicero *lib.* XI. *ad Famil. ep.* 16. & *pro Cæcina c.* 25. qui & alibi multus eſt in juris ſcientia prædicanda, *lib.* II. *de Off. c.* 19. & *lib.* I. *de Orat. Quid*, inquit, *præclarius, quam honoribus & Reip. muneribus perfunctum ſenem ſuo jure dicere id, quod apud apud Ennium dicit ille Pythius Apollo: ſe eſſe eum, unde ſibi, ſi non populi & Reges, at omnes ſui cives conſilium expetant, ſuarum rerum incerti; quos ego mea ope ex incertis certos, compotesque conſilii dimitto, ut ne res temere tractent turbidas?*

hodie ab omnibus conjugi debere. Nunc major rerum ordo ſurgit, ubi ad veram, non ſimulatam Juriſconſultorum Philoſophiam perventum eſt, quam ſibi ſuisque adſcripſit Vlpianus. (*x*) Ecquid enim, dicet aliquis egrege cordatus homo, ecquid hoc eſt, niſi ampullas projicere, & limites modeſtiæ egredi, per quam pudor honeſtus ſibi ſtabilem demum auctoritatem comparare valet? Dic aliquem, ſodes, dic Quintiliane colorem, Hæremus dubii! Foppius Aixema (*y*) hic exclamandum putat: non ego. Neque enim adeo in anguſtum redactæ ſunt copiæ noſtræ, ut animus abjiciendus ſit: quicquid fieri poteſt, turpiter deſperatur. Poſſem provocare ad naturalem illam mortalium inclinationem, qua ſuum cuilibet plucrum videtur, & nemo non ea in re triumphat, in qua

(*x*) Livius ſimiliter ſimulatum pavorem vero opponit *lib.* II. *c.* 50. Florus veram fugam ſimulatæ *lib.* III. *c.* I. Sidonius Apollinaris *lib.* III. *ep.* 7. *Nihil affectatum ſimulatumque; vera potius ſeveritas, quam ſeveritatis imitatio.* Optime Marcus Antonius lib. I. n. 16. Τȣτοις δε και το τιμητικον των αληθως φιλοσοφȣντων, τοις δε αλλοις ȣκ εξονειδιςικον *Vere Philoſophantes in honore habebat, cæteris nihil exprobrabat.*

(*y*) *lib.* II. *diſſert, jur. civ. c.* 9.

qua maxime ſe excellere ſentit, ut ipſe ſeſe evadat excellentior. (*z*) Poſſem confugere ad innatam illam Romanis ambitionem, aut ſi mavultis, ad ſtudium Syrorum alios vincendi ingenii cultu. Sed nihil horum opus eſt. Qui tot finium regundorum formulas præſcripſerat Juriſconſultus, libenter vicinis diſciplinarum terminis permittebat. Qui legem Philoſophiæ veræ, quantum natura ſibi relicta capit, reipſa impleverat, nil erat, cur elogium Philoſophi cum aliorum injuria aucuparetur; unde quo minus gloriæ petiit, eo majorem eſt adſecutus. Quid ergo? Non ait Ulpianus, ſuam juris ſcientiam veræ Philoſophiæ decreta tradere; Philoſophorum omnia eſſe ſimulata, umbras & purgamenta mera. Non jactat, ſe ſuosque ſolos culmen veræ ſapientiæ tenere, ſed juxta cum aliis veris Philoſophis, juris ſacerdotes anxie eniti, & nervis omnibus ſtudere, ut, damnato otio, hypociſi, avaritia, & miſſis difficilibus nugis, *rem* illam *religioſam*, quam alibi vocat, (*a*) factis, non verbis excolerent, ejusque

(*z*) Vide Plinium IV. *ep.* 17. in fronte hujus diſſertationis, ad invidiam ſtatim ab Ulpiano removendam, laudatum.

(*a*) *l.* 1. §. 4. *D. de Extraord. cognit.* Seneca Phi-

que brabeum, animi tranquillitatem, conſequeretur.

Veram igitur Philoſophiam primo *Activam* vocat, quæ boni & æqui notitiam non modo intellectu comprehendit, & lingua profitetur; ſed quæ in Curia, in Foro, in omni vita civili, licitum ab illicito diſcernit, malosque cives, duabus rebus multo potentisſimis, immedicabiles pœnis coërcet, reliquos vero præmiorum exhortatione bonos efficere conatur. Contra ſimulata *contemplationibus* argutis, & altercationibus cathedrariis, nil profuturis conſumitur, otio gaudet, totaque in oratione, non in actione conſiſtit. (b) Deinde vera Philoſophia, vel unius Socratis judicio, eſt *moralis*, quæ naturam huma-

loſophiæ nomen ſimiliter *ſacrum & venerabile* appellat, *epiſt.* 14.

(b) Ariſtoteles Philoſophiam contemplatricem alibi quidem videtur evehere, ſed activæ eam ſubjecit lib. 1. Ethic ad Nicomach. c. 2. *Bonum civitatis & acquirere, & conſervare. majus quid & divinius videtur: nam contentus quidem eſſe etiam unusquisque poteſt, ſi uni ſoli; pulchrius tamen ac divinius, ſi genti ac civitatibus utilis efficiatur.* Rotunde Cicero lib. xv. epiſt. 4. ad Catonem: *Soli propemodum nos Philoſophiam illam VERAM & antiquam, quæ quibusdam otii eſſe ac deſidiæ videtur, in forum, atque in remp. atque in ipſam aciem*

Digitized by Google

humanam penitus intuetur, ex ea mores recte conſtituit, eosque a labe & pravorum injuriis defendit. Hæc animum diſcutit, appetitus a vitiis purgat; bonum, malum; expetendum, fugiendum proponit; nec alios tantum facunde monet, domitas habere libidines; ſed propriis cupiditatibus manus injicit, easque frenis & catenis compeſcit. Simulata autem rebus *phyſicis* & cœleſtibus unice in-

T me-

pane deduximus. Seneca *ludum litterariorum Philoſophorum* (ſic invito Gronovio, pro *litterarium* legit Faber; Lipſius ex ſuo *litteralium*) *qui rem magnificentiſſimam ſyllabas vocant, & animum minuta docendo dimittunt*, relinquendum eſſe ſuadet *Epiſt.* 71. Alibi *veros* Philoſophos oppoſit *cathedrariis*, qui verbis, non re, philoſophabantur, de Brevitate vitæ cap. x. *Solebat dicere Fabianus: non ex his cathedrariis Philoſophis, ſed ex VERIS & antiquis.* Arrianus Scholaſticos & ſtultos conjunxit *lib.* III. *c.* 26. Marcus Scholaſticum viro maturo, & rebus adminiſtrandis idoneo, opponit *lib.* I. *§.* 16. Julianus Imp. ad Themiſtium pag. 263. *Cum vita genus illud, quod in actione verſatur, philoſophico te anteferre dixiſſes; tum ejus ſententia teſtem Ariſtotelem citaſti, qui felicitatem in eo, quod recte agatur, ſitam putavit.* &c. Poſterior ætas *nominales* Philoſophos appellavit, *quod avari rerum, prodigi nominum eſſent*, auctore Aventino *lib.* VI. *Annal. Bojor.* Stephano Epiſcopo Tornac. Epiſt. 97. *verborum venditores* dicuntur.

Digitized by Google

tenta, de fluxu & refluxu maris, terra, cœlo, meteoris, cometis, aliisque extra nos poſitis, multa obſcure diſſerit, dumque nimium auctoritatis naturæ tribuit, in auctorem naturæ ſæpius impingit. (*c*) Tertio veram Philoſophiam *gratuitam* vocat, quæ ſine præmio benigna, modicis contenta, ſine oſtentatione, ſine ſuperbia, nocet nemini, prodeſt multis, nec ambitione, aut ſpe lucri, ſed virtutis amore excitatur. Simulata *mercenaria* eſt, quæ victu & corporis habitu ſeveritatem præ ſe fert, lingua & ſupercilio pecuniam contemnit, at fictam adſeverationem ubivis nudat, artem ſanctiſſimam numma-

(*c*) Hinc Ariſto dicebat, eos, qui, relicta Philoſophia morali, *τοις εγκυκλιοις μαθημασιν* vacarent, ſimiles procis Penelopes eſſe, qui cum domina potiri non poſſent, ancillis miſcebantur, apud Stobæum. *Serm.* II. Alexandriæ Aſtrologi tributum ſtultorum pendebant, quod a ſtultis conſulerentur; Suidas *in voc. βλακεννομιον.* Romæ ab omnibus fere Principibus interdictum fuit, ne quis omnino Chaldæorum & mathematicorum ineptiis ſe immiſceret, varieque puniti ſunt hi, qui id exercuerunt, auctore Vlpiano *tit.* XV. *Collat.* In Concilio Lateranenſi Clericis vetitum exercitio Phyſicæ *cap.* 3. *& ult. X. Ne clerici vel mon.* Auguſtinus hanc ſcientiam parum proficere Chriſtiano, ſcripſit *Enchirid. ad Laurentiam.*

Digitized by Google

mario pretio dehoneſtat, ſuaque utilitate omnia metitur. (*d*) Denique vera Philoſophia eſt *prudentia civilis*, quam Plato regalem ſcientiam & Principum vere propriam, Ariſtoteles artium reginam appellavit. Hæc eſt politica illa Philoſophia, & architectonica, quæ cum pediſſequis ſuis comitata, orbem illum doctrinarum, omnique juris, naturalis & divini, publici & privati complectitur ſtudium, nec leges tantum, ſed & earum finem, rationes, applicationem & interpretationem commonſtrat. Hujus fundamentum eſt illud rectæ rationis dictamen, quod non hauſimus, non didicimus, ſed cujus in-

(*d*) Papinianus, niveus ille veræ Philoſophiæ cuſtos, in *l.* 8. §. 4. *D. de Excuſat. tut. Etenim*, inquit, *VERE philoſophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendæ cupidine fictam adſeverationem detegunt.* Seneca II. de Benef. cap. 17. *Res eſt intolerabilis, poſcere nummos & contemnere. Indixiſti pecuniæ odium; hoc profeſſus es: perſonam induiſti, agenda eſt. Iniquiſſimum eſt, te pecuniam ſub gloria egeſtatis acquirere.* Apulejus *in apolog.* ubi paupertatem Philoſophiæ vernaculam, & bonæ mentis ſororem explicat, *cur ejus*, inquit, *pudeat tenuiores, quod ea non* ſimulate, *ſed vere fungimur.* Multa Grotius *in flor. ſparſ. ad l.* 1. *D. de Extr. cognit.* Freherus 1. *parerg. c.* 1. Henelius *c.* 11 *Ot. Vratiſlav.*

ventor & diſceptator eſt Deus; quod aliud non eſt nunc, aliud olim, aliud hic, aliud in Anglia, Gallia, Hiſpania; cui derogare non licet, quod ſolvi nemo poteſt; fons legum civilium, quæ ad genium cujusque populi, ſuadente publica utilitate diriguntur. (*e*) Simulata autem *ſophiſtica* eſt, quæ in captando & illaqueando occupata, ſycophantiis & fallaciis humanarum fictionum innititur, à Platone olim deriſa, nunc proceribus contemta, crux melioris juventutis; quæ utiliore fruge neglecta, ſcholæ, non vitæ, diſcit, & tot inter nebulas variarum opinionum vix viam

(*e*) Euphrates Philoſophus apud Plinium lib. I. epiſt. 10. *Hanc eſſe Philoſophiæ, & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere, & exercere juſtitiam, quæque ipſi doceant, in uſu habere.* Cujacius in adhortatione ad filium Jacobum, tractatui VI ad Africanum præmiſſa: *Sine ſtudiis Juris Civilis,* inquit, *neque ſtare res, neque mores hominum conſtitui, componi aut temperari ullo modo poſſunt: ſine quibus prudentiſſimus cautiſſimusque rerum homo, quisquis ſit, quantumvis felici ſidere natus, nemo unus evaſerit unquam, ſine quibus æqui & boni quoque ſpeciem comprehenderit vix unquam quisquam bene; nec ſi ſe dederit totum Philoſophiæ, nec ſi litteris ſacris. Nam Philoſophia univerſa tantum præcepta regendæ Reipublicæ nos docet, nec ab-*

Digitized by Google

viam videt, qua ad rationalem & veram ſapientiam eatur. (*f*)

Jam vero, per fidem veſtram, Auditores, aures animumque in rem præſentem convertite; & verba Vlpiani, convitiis vulgo proſciſſa, ac tantum non arrogantiæ damnata, mecum conſiderate presſius. Ecce! quam prudenter ille temperat ſermonem? quanta cunctatione delibεrat? nec abſolute tandem, ſed hæſitans pronunciat, judicii temeritatem, ſi qua eſſet, velut deprecaturus: *Veram Philoſophiam, niſi fallor, non ſimulatam affectantes.* Tanta nimirum viri hujus ſummi erat modeſtia, ut, licet ſententiæ ſuæ eſſet certus, nec falli timeret, ta-

tingit ſingula quaque &c. Multis partibus, magnoque dignitatis intervallo, jus civile Philoſophiæ præſtare, Vbertus Folieta, in libris tribus docuit, *de Philoſophiæ & juris civilis comparatione.*

(*f*) Hanc Plato infamat paſſim, maxime in Hippia minore, & in Sophiſt. τον σοφιςην definit: μιμητην τȣ σοφȣ, *ſapientis ſimiam.* Sophismata & ancipites diſputationes inde *Philoſophia* dicuntur apud Cicer. III. *de Orat.* 27. Senec. *epiſt.* 48. Gell. *lib.* IV. *c.* I. *Sophiſtæ appellantur ii, qui oſtentationis, aut quæſtus cauſſa philoſophantur,* ait Tullius II. Acad. quæſt. Seneca ep. 29. *circulatores ſophiſtas* vocat, *qui Philoſphiam honeſtius neglexiſſent, quam vendunt.* Idem epiſt. CXI. *VERVS &*

men verbis timidis: *niſi fallor; credo, opinor, videtur, difficile, mirum, novum, verius eſt, magis puto, ut mea fert opinio*, aliisque id genus moderationis formulis, eam proferret. Sæpe ſententia ejus diſcrepat; nuſpiam verbis petulantibus aut dictu aſperis utitur adverſus illos, quos reprehendit. Si maledicta & concertationes iracundas adamaſſet, hic locus erat, fictos Philoſophos, qui omnia vitæ inſtituta præ ſua forte deſpiciebant, caſtigandi; ſed nihil horum. Dum contumelias, turpem animi impotentis & ſimulati fœtum deteſtatur, verum ſe Philoſophum eſſe oſtendit. *Affectare*, in partem bonam eſt omnibus votis & viribus appetere, animum pronum ad faciendum habere, (g) Se

rebus, non artificiis Philoſophus. Marcus Antonius Diis acceptum fert, quod cum philoſophandi cupiditas inceſſiſſet, non in Sophiſtam aliquem inciderit, nec ſyllogiſmis reſolvendis, vel meteorologicis diſcutiendis, tempus deſes contriverit *lib.* 1. *in fin.*

(g) Hoc ſenſu affectare iter, viam, regnum, Cicero, Virgilius & Livius dixerunt. *Qui data opera & ſine lucro hoc affectaverit*, inquit idem Vlpianus noſter in *l.* 5. *D. Ex quib. cauſ. maj.* Hornacius longe convenientius in hoc, quod explicamus, capite legendum putat, *affectantes*, quia in re ſimili Paulus II. *ad Timoth.* c. 3. *vſ.* 10. ſic locutus

Se ergo ſuosque ſocios, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, cives non ſolum metu pœnarum, verum præmiorum quoque exhortatione, bonos efficere cupientes, anxie eniti declarat, ut veri Philoſophi eſſent, ſed experiundo didiciſſe, quam id difficile ſit, immo perfecte præſtari non poſſit. Prorſus ac bis ſanctus Apoſtolus, ſi parva licet componere magnis, ad Philippenſes ſcribens: non quod jam metam ap-

fuit. Sed magis eſt, ut Vlpianum, dum pungit ſimulatos Philoſophos, voce Philoſophica uſum eſſe credamus. Seneca ep. 89 *Philoſophiam ſapientiæ amorem & affectationem* definit. Tertullianus, Vlpiano æqualis, lib. 1. ad nat. c. 4. *Sed veritatem, ſæculo operoſiſſimam, Philoſophi quidam affectant, poſſident autem Chriſtiani: ideoque qui poſſident magis diſplicent, quia, qui affectat, inludit, qui poſſidet, defendit.* Idem in Apolog. c. 46. *Mimice Philoſophi affectant veritatem & affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant. Chriſtiani & neceſſario appetunt, & integre præſtant, ut qui ſaluti ſuæ curent.* Similiter Juriſconſulti, Reip. conſulentes, integre præſtare conantur leges veræ Philoſophiæ, easque re & factis, non per mimicam κακοζηλίαν, affectant. Studioſos ſapientiæ ſe eſſe gloriantur, non eruditos. Hinc artem ſuam *ſtudium* vocant, ſe *ſtudioſos*, quia dant operam, necdum pervenerunt.

Digitized by Google

prehenderim, aut jam ſim conſummatus, ſed perſequor experiens, an quoque comprehendam. (*b*) Verum quod præ verecundia ſibi tribuere non auſus eſt magnus Juris antiſtes, id ratio poſtulat, ei mortuo ut aſſeramus. Res omnis manifeſta erit, ſi tempus, quo hæc ſcribebat, tum ſectas & æmulationem Philoſophos inter & JCtos contemplemur: Sic enim cauſſa cadam, niſi liquido oſtendero, propius ad veræ ſapientiæ culmen Vlpianum, cum pleriſque Juriſconſultis acceſſiſſe, quam φιλοδικοι Philoſophi ejus temporis, nulla laude vel patrocinio digni.

Natus eſt Vlpianus, Antonino Philoſopho imperante: libros Inſtitutionum, ex quibus hoc caput deſumtum eſt, ut alia pleraque, elucubravit ſub Antonino Caracalla; ſub Alexandro autem Severo, in ſummo honoris faſtigio, militum ſcelere trucidatus eſt. (*i*) Jam vero aptum philoſophandi ſæculum natum erat, quo Marcus Antonius, Princeps cognomento Philoſophus, imperio præ-

(*b*) *Ad Philip.* III. 12.

(*i*) Caracalla imperare cœpit A. C. 211. Alexander A. C. 222. Inſtitutionum libros ab Vlpiano ſcriptos eſſe ſub Antonino Caracalla, liquet ex fine *tit.* 16. *Collat. LL. Moſ.* & monuit ibidem Eruditiſſimus Vir, Ant. Schultingius in notis.

Digitized by Google

præerat, & ſapientiæ ſtudium, non ſcriptis tantum, ac decretorum ſententia, ſed morum gravitate, atque continentia uſurpabat. Vnde princeps *providentiſſimus*, *Philoſophia plenus*, & *Philoſophiſſimus* vocatur. (*l*) Hinc quoque factum eſt, ut nulla ætas majorem philoſophantium protulerit proventum, quam iſta: ſolent enim homines vitam Principis plerumque æmulari; ad hanc flexibilis quisque in quamcunque partem convertitur, nec tam imperio opus eſt, quam exemplo. Plerique autem, ut ejus genio ſe conciliarent, barbæ palliique habitu Philoſophos ſeſe mentiebantur, lucra & immunitates tantum captantes, homines ignava opera, Philoſopha ſententia. Nulla ætas ejusmodi ſimiis caruit: ſed dies me deficeret, ſi mathematicorum, aſtrologorum, genethliacorum, Chaldæorum, magorum, impietatem & diſciplinam nume-

(*l*) *L.* 67. §. *fin. D. de Leg. lib.* 2. *l. ult. C. de Repud. l. pen. C. de His quib. ut ind. Nov.* 22. *c.* 19. Eutropius lib. VIII. Hiſt. Rom. *Marcus Philoſophiæ deditus Stoicæ: ipſe etiam non ſolum vita moribus, ſed etiam eruditione Philophus.* At Capitolinus in ejus vita, *datum ei vitio*, refert, *quod & fictus fuiſſet, nec tam ſimplex, quam videretur.* De numero Philoſophantium hoc ævo Herodianus *lib.* 1. *c.* 2. §. 8.

numerorum, Romanis potentibus inſidam, ſperantibus fallacem, enarrare vellem. Senatusconſultis & Principum Edictis impoſtoribus his occurrendum fuit plus ſemel, eorumque multa in libris noſtris ſuperſunt. Quis neſcit toties pſeudo-Philoſophos Vrbe pulſos? ſimulatam Philoſophiam a Comicis in ſcæna traductam? a Poetis denique circumforaneos iſtos, qui in convitia ſua diſerti, in ſuam libidinem & avaritiam perorabant, populo deridendos propinatos eſſe? (*m*) Verum ſub Marco talium integri obrepebant greges: *Magna multitudo ſe philoſophari ſimulavit, ut ab eo locupletaretur*, inquit Dio Caſſius; addit Capitolinus, inde eveniſſe, *ut fama fuerit, quod ſub Philoſophorum ſpecie quidam*

(*m*) Elegans Vlpiani locus *tit.* xv. *Collat. LL. Moſ.* Pauli v. *Sent.* 21. §. 3. Ennii *pag.* 226. Pacuvii apud Gellium *lib.* XIII. *c.* 8. Plauti *in Curcul.* II. 3. *vſ.* 9. Valerii Maximi *lib.* I. *c.* 3. Taciti II. *Ann.* 32. & I. *Hiſt.* 22. Sueton. *Tiber. c.* 36. & *Domit. c.* X. Juvenalis *Sat.* VI. Martialis *lib.* IX. *ep.* 77. Quintilianus Inſt. lib. I. præfat. *Noſtris temporibus ſub hoc nomine maxima in pleriſque vitia latuerunt: non enim virtute ac ſtudiis, ut haberentur Philoſophi, laborabant; ſed vultum & triſtitiam, & diſſentientem a ceteris habitum peſſimis moribus prætendebant.*

dam rempublicam vexarent, & privatos. (*n*) Non minor horum, tempore Septimii Severi, proventus fuiſſe videtur; quia non ipſe tantum Auguſtus *Philoſophiæ ſtudiis deditus* fuit, etiam infamatæ illius, quæ ex aſtris & geneſi futurorum notitiam profitebatur; ſed ejus quoque uxor, Julia Domna, Caracallæ mater, circumfuſam undique Sophiſtarum coronam ſecum duxit, atque adeo Philoſophiæ fuit ſtudioſa, ut *Philoſophæ* meruerit nomen. (*o*) Evenit ſic idem rurſus, quod Marci temporibus, ut multi, Philoſophiæ ſtudio quam maxime ſe teneri, fingerent, ad gratiam & favorem promerendum, licet nulla docendi peritia, interpretandi ſubtilitate, aut morum probitate inſtructi eſſent. Quapropter Papinianus *Veros* Philoſophos a falſis tum diſtinxit. (*p*) Sed, quod caput eſt, jam dudum Antoninus Philoſophis, per omnes provincias, ſalaria, eaque neutiquam exigua, con-

(*n*) Dio in *Marco lib.* 71. & Capitolinus *in eodem c:* 23. ubi Caſaubonus ad hos, qui ſub Philoſophiæ ſpecie Remp. vexabant, Marci reſcriptum referri poſſe cenſuit, a Modeſtino memoratum in *l.* 30. *D. de Pœnis*, & Vlpiano *dict. tit.* xv. *Collat.*

(*o*) Aurelius Victor *Cæſarib. c.* 20. *Dio lib.* 75. *fin.* Menag. *Hiſt. mul. Philoſ. ſegm.* 16.

(*p*) *In l.* 8. *§.* 4. *D. Vacat. & excuſat. mun.*

Digitized by Google

contulerat, & vacationes munerum perſonalium ac patrimonialium, a Veſpaſiano & Hadriano olim indultas, iis confirmarat; numerum vero, quot quibus in civitatibus exhiberi publice deberent, non finivit, conditiones quasdam lege propoſuiſſe contentus, quibus expletis ad privilegia & lucra admitterentur. (*q*) His ergo quia multi, amictu tenus Philoſophi, Vlpiani ætate, inſidiabantur, amplasque mercedes a diſcipulis ſuis exigebant, quis ambigat, tales Profeſſorum numero habendos, ab eo recte negari? Quanquam enim noſſet, omnes liberalium artium Doctores Profeſſores dici, & Philoſophiam religioſam eſſe, vox tamen profeſſionis mage mercenariam operam indicabat, quam ſpernere oportebat eos, qui Philoſophos ſe haberi vellent. (*r*) Modeſtinus tradit, Philoſo-

(*q*) Auctor eſt Capitolinus *in vita Pii c.* xi. & Modeſtinus *l.* 6. §. 8. *D. de Excuſat.* Arcadius Chariſius in *l. ult. in fin. de Mun. & bon.* & Diocletianus in *l.* 4. *C. de Prof. & Med.* Salarium μυριας δραχμας fuiſſe Lucianus in *Eunucho*, Philoſtratus *lib.* II. *de vitis*, *in Theodoto*, & in *Chriſto* teſtantur. Vide Meurſii *Fort. Att. c.* 8. & Gronov. *lib.* IV. *de pec. vet. c.* XI.

(*r*) Verba Vlpiani in *l.* I. §. 4. *D. de Extraord. cognit. An & Philoſophi Profeſſorum numero ſunt? & non putem: non, quia non religioſa res eſt: ſed quia*

Digitized by Google

loſophorum numerum conſtitutione Divi Pii ideo haud conſtitutum fuiſſe; *quia rari ſunt, qui philoſophantur.* (*s*) Valentinianus poſtea omnes, qui habitum Philoſophiæ indebite & inſolenter uſurpabant, patriæ ſuæ reddi juſſit; turpe putans eſſe, ut patriæ functiones ferre non poſſent, qui vim fortunæ ſe ferre profiterentur. (*t*)

Satis, opinor, ex temporis ratione, quo ſcripſit Vlpianus, oſtendi, perquam utile, immo

hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam ſpernere. Hæc in contumeliam Philoſophorum non vergunt, ut multi exiſtimant; magis ad honorem eorum referri poſſunt. De Juriſconſultis enim in §. *ſeq.* poſterius quoque affirmat; & utrosque ſeparat a Grammaticis, Sophiſtis, Geometris, calculatoribus, chirurgis & auriculariis, qui extra ordinem de mercede agentes, audiebantur. In l. 3. C. Th. de ſtudiis lib. *Philoſophiæ arcana rimantes.* In l. 11. C. Juſt. de Prof. *Philoſophiæ præceptores* vocantur.

(*s*) *In l.* 6. § 7. *D. de Excuſat.* ubi Burgundionis Piſani, aut quisquis interpres eſt, errorum inſignem, in verſione vocis ακριβολογωντο, corrigit Menagius ad *Laërt. lib.* IV. *ſegm.* 50.

(*t*) *l.* 7. *C. Th. de Medicis & Prof.* ad quam Jac. Gothofredus in notis, quid ſit *habitus Philoſophiæ*, explicavit. Sed adde *Matth.* X. 10. Cauſauboni *ad Capitolini Marcum c.* 2. & Salmaſ. *de pallio.*

immo neceſſarium fuiſſe, ut veri Philoſophi a ſimulatis diſcernerentur; qui meritoria ſua arte, Philoſophiam, ſanctiſſimam matronam, meretricis inſtar, ea ætate proſtituebant. Major nunc lux affulgebit, ſi preſſius conſideremus, quatuor Philoſophorum ſectis, Platonicis, Peripateticis, Epicureis & Stoicis, ab Antonino ſalaria conſtituta fuiſſe, ut juventutem docerent. (*u*) Alebat ſic æmulatio ingenia; ſed dum hunc invidia, illum avaritia, omnes præjudicium auctoritatis accendebat, quisque ſuam philoſophiam veram, ceterorum ſimulatam eſſe jactavit, philoſophico more. Academici quidem & peripatetici inter ſteriles cathedras plorabant; illi,

Herodianus habitum illum φιλοσοφȣ σχῆμα vocavit *lib.* 1. ſicut ſacerdotum, Clericorum & Monachorum *ſchema in lib.* 3. *C. de Summa trin. Nov.* 123. *c.* 10. *Nov. Leon.* 7. Huc etiam pertinet elegans Diocletiani & Maximiani l. 6. C. de Muner. patrim. *Profeſſio & deſiderium tuum inter ſe diſcrepant: nam cum philoſophum te eſſe proponas, vinceris avaritia & rapacitate; & onera quæ patrimonio tuo injunguntur, ſolus recuſare conaris. Quod fruſtra te facere, ceterorum exemplo poteris edoceri.*

(*u*) Lucianus *in Eunucho*, Philoſtrat. *lib.* II. *de vit. Soph. n.* 2. Tertulian. *Apolog. c.* 3. Vide de ſectis elegans judicium Diodori Siculi *l.* 1. *c.* 29.

illi, quod ignorantiæ magiſtri erant, & Reipublicæ ideam, quæ nusquam ſuit, nec erit, fingebant: hi vero, quia ſe totos ad naturæ investigationem conferebant, ſed maxime neceſſariam philoſophiæ partem, quæ poſita eſt in virtute & moribus, relinquebant. (x) Ad Epicuri vero diſciplinam populare voluptatis nomen multos invitabat, viros magnos, & principes civitatis; qui patris ſui memoriam, velut Dei cujusdam, annua ſolennitate colebant, ejus imaginem in annulis, poculis & cubiculo habebant, ratasque ejus ſententias ad verbum ediſcebant; ſancta, recta & fortia ipſum præcipére credentes. Hi magna amoris conſpiratione, ſed faſtu intolerando, *Philoſophi* nomen ſoli Epicuro, ſibi *vere philoſophantium* laudem tribuerunt. (y) Non hic ſectæ infamatæ do-

(x) Commentitiam Platonis remp. reprehendit Athenæus *lib.* XI. *Deipnoſ. c. ult.* Ejus leges, ut ſummum ſtultitiæ exemplum, proponit Lucianus in *Icaromenipp. p. m.* 689. Græci, cum frivolum quid ſignificare voluerunt, proverbii loco, *ψυχροτερον Πλατωνος νομων*, *Frigidius Platonis legibus*, dixere.

(y) Cicero lib. v. Tuſc. Quæſt. *An Epicuro, qui tantum modo induit perſonam Philoſophi, & ſibi ipſi hoc nomen inſcripſit, dicere licebit?* Diſcipulos

dogmata defendam, quæ ſanior philoſophia merito proſcribit. Nolim vero omnia dicteria & ſcommata, in hortorum magiſtrum ejusque Sectatores vibrata, pro veris haberi; quia livor Stoicorum magnam eorum partem effudit. Nihil autem his litibus opus erat Jurisconſultis, viris politicis & popularibus, quibus Epicuri diſciplina nullo modo vera videri poterat. Is namque Rempublicam noſſe, aut gerere, negabat eſſe ſapientis; & fugere omnem diſciplinam navigatione quam velocisſima jubebat. Hoc amplius, Deos nullam humanarum rerum procurationem habere cenſuit: quam ſententiam ſi veram habuiſſent Jurisconſulti, ubi pietas? ubi religio? ubi jusjurandum? His vero ſublatis, fides etiam, & ſocietas humani generis, & una excellentisſima virtus, Juſtitia tollitur, cujus ille nihil reliquit, niſi nomen inane, quod intra communem utilitatem conſiſtat. Denique omnia ſui cauſa quum facienda docuit,

ejus pro certo habuiſſe, atque profeſſos: *Neminem extitiſſe Epicuro ſapientiorem*, teſtatur Plutarchus de Fraterno amore. Libros ejus de cælo delapſos, ab iis creditum, Victorius docuit *lib.* xix. *var. lect. cap.* 16. An Alphenus Varus Epicureos ἁπλῶς Philoſophos dixerit in *l.* 76. *D. de Judiciis*, excuſſi ſupra.

cuit, non civitatis: an juſtitiam adminiſtrari voluit? quæ, Ariſtotelis effato, *αλλοτριον αγαθον*, alienum, non proprium commodum ſpectat. Tullius *maxime aſtuti eſſe*, ſcripſit, *omnia ad ſuam utilitatem referre*; alibi *επικερδιον* vocat, ad ſuum quæſtum unice callidum eſſe; quoniam hæc ſimulata, non vera erat Epicureorum Philoſophia, omnia voluptate metiri. (*z*)

Ad Stoicorum ſectam nunc pergamus, graviſſimam & fortiſſimam, quæ virum ſummi ingenii Zenonem habuit anteſignanum. Is finem bonorum non in voluptate, ſed in honeſtate collocavit; atque ideo Epicuri diſciplinæ, tum maxime florenti, omnibus ingenii viribus non modo adverſatus eſt, ſed & novam hæreſin novo paxillo ut ſuſpenderet, ceteros maledictis laceravit. In epiſtola ad Antigonum Regem vehementer laudat ejus diſcendi ſtudium, quatenus *veram* atque utilem, non autem *popularem* & morum corruptricem Epicuri Philoſophiam amplectebatur. (*a*) Ejus alumni in phyſicis, quod ad

V divi-

(*z*) Ariſtoteles *lib.* v. *Ethic. Nicom. c.* 10. Cicero *lib.* III. *ad Fam. ep.* 10. & I. *de Nat. deor. c.* 2. juncto Laert x. *n.* 150. Adde pulcherrimam Tullii epiſtolam ſupra & Schottum *Nod. Cicer. l.* II. *c.* 19. (*a*) Menagius *lib.* VII. *n.* 8. *καθαρον της*

divina, tum in doctrina civili, præcipue autem in ethicis excelluerunt, ſuumque ſapientem nihil ignorare, nihil opinari, totam naturæ vim, ſummum humani generis bonum ſcientia eum complecti, uno verbo, omnia, immo prope deum eſſe, ſunt gloriati. Quantum ergo res cœleſtis terreſtri, Deus ipſe hominibus præſtat, tanto intervallo doctrinam ſuam ceteras anteire. Et ſane inficiari haud poſſumus, nullum non virtutis genus ſevera lege ab illis exactum; multos eorum ad omnes virtutes magnos evaſiſſe & excelſos: Catones denique & Brutos, Thraſes Pœtos, & Helvidios Priſcos, quæ de juſtitia, liberalitate, temperantia, honeſtate & animi magnitudine edocti erant, re & factis probaſſe. Plerique eorum hoc amplius ſe ſolos *ſapientiæ doctores*, ſolos *vere Philoſophos*, ſolos *Socraticos*, ſolos *Medicos majores*, tum propter ſanctitatem doctrinarum, tum ob rigidam vitæ diſciplinam, appellabant. Epicurum

αληθινης καὶ εις ονησωπεινουσης, &c. Similiter Marcus Antonius Stoicos ſuos *vere philoſophantes* appellat, *lib.* 1. §. 16. τῶν ἀληθῶς φιλοσοφούντων. Etiam Horatius, ubi Stoicus factus, vitam civilem laudat, *lib.* 1. *epiſt.* 1. *verſ.* 16.

Nunc agilis fio, & merſor civilibus undis,
Virtutis VERÆ cuſtos, rigidusque ſatelles.

rum contra otii magiſtrum, hortum voluptatis officinam fuiſſe; illius de grege porcos, in umbra, & amplexibus puellarum, plenos traducere hilaritatis dies, in aliis vere, in aliis falſo, præ invidia & æmulatione criminabantur. (*b*) Atque ob has cauſas magna hominum nubes Stoicorum familiæ nomen dedit, præſertim ex quo M. Antoninus, princeps optimus, in albo eodem. (*c*)

Ipſe Ulpianus, cum plerisque Juriſconſultis, ingenium ex Stoicorum fontibus proluerat; quia Zeno a rebus gerendis minime avocabat, & Chryſippus juſſerat, πολιτευεσθαι τον σοφον, niſi prohiberetur. Cum ſuis igitur magiſtris pupugiſſe videtur Epicureos, quaſi ſimulata philoſophia tantum corpori deſervirent, atque omnia, quæ anquirenda in vita, quæque fugienda, voluptatibus & do-

(*b*) Seneca de vita beata, c. 13. *Plerique Stoicorum dicunt, ſectam Epicuri flagitiorum magiſtram eſſe.* Epictetus multus adverſus Epicurum *lib.* II. *c.* 20. & *lib.* III. *c.* 7.

(*c*) Sextus Empiricus, hoc Marci ævo, aſſerebat: *plures fuiſſe, qui Stoicam ſectam ſectarentur, quam qui aliam quamcunque.* Hermotimus apud Lucianum profeſſione Stoicum ſe factum, ait: *quia videbam, plurimos ad eam ſectam ſe conferre, eam meliorem eſſe conjiciebam.*

Digitized by Google

doloribus ponderarent; reipublicæ autem partem, quæ manu & minis, præmiis & pœnis bonos cives facit, nec noſſent ullam, nec noſſe vellent. (*d*) Nolim vero exiſtimetis, ſolis Epicureis ſimulationis infamiam adſpergi, unos Porticenſes, tanquam veræ ſapientiæ cultores, ab eo commendari: nam & inter illos viri optimi, & plurimi Stoicorum, dum præ ceteris ſapere volebant, ad faſtum & ſubtiles contemplationes prolabebantur. Olim quidem Stoicorum invidia maxime exarſerat in Epicureos; at poſtquam Ariſtoteles Romanis placuit, in Peripateticos non

(*d*) Hæc Celeb. Gundlingii ſententia eſt, in *Add. ad tom.* xv. *Gundl. p.* 486. Feltman *ad hanc l.* 1. *n.* 17. & Stoicam & Epicuream intelligit; at omnium ſectarum ſimulatam Philoſophiam Vlpianus inſectatur, etiam Pythagoreorum, quos αληθως προεσταμενους φιλοσοφιας, *vere Philoſophiæ præeſſe*, Claudius Imp. ſcribit in epiſt. ad Apollonium, & ipſe Apollonius *epiſt.* 50. & 53. Sed Romanis erant inviſi, quia magiæ infamia laborabant; unde nec inter quatuor ſectas, ab Antonino ſalariis honoratas. Vide Rhodin. *lib.* xix. *Antiq. lect. c.* 7 Pejus vero Feltman addit, Vlpianum Stoicis tantum operam dediſſe, eoque refert, quod dixit, *niſi fallor*. Sed multa Vlpianus ex Ariſtotele, Platone, aliiſque eſt mutuatus. Vid. Pancirol. *lib.* 1. *Var. lect. c.* 80.

non minus obliqui fuerunt, quod hi bonis, quæ illi concupiſcebant, potiebantur. Deinde Vlpianus, eique æquales, miſcellam magis amarunt Philoſophiam, quam ut in verba Stoicorum juraſſent: unde feliciter placarunt diſſidia Sabinianorum & Proculianorum, ex diverſo philoſophandi genere enata. Quod ſi poſtremo ex zizaniis de tota ſegete judicare liceret, infinitos Pſeudo-Stoicorum in ſcænam producere poſſem, qui aliter vixerunt, quam vivendum eſſe præceperant, quibusque Vlpianus vere objicere potuiſſet, quod Herodes Atticus cuidam dicebat: *barbam & pallium video, philoſophum non video.* Multorum os ad modeſtiam videbat compoſitum, dejecta lumina, ſupercilia ſubducta, & corporis, velut rei ſupervacaneæ, contemtum. At ſi pectus intraret, dii deæque, quam omnia diſſimilia! dira ambitio, in æquales livor, deorum neglectus, aliaque nefanda, regnum tenebant. Non memorabo, quæ de Seneca ſcripſit Dio Coccejanus. Prætereo Egnatium, qui auctoritatem Stoicæ ſectæ prætulit, habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti exercitus, ceterum animo perfidioſus, & ſubdolus, avaritiam ac libidinem occultans. (*e*) Hoc tantum dicam,

V 3 quod

(*e*) Dio *lib.* 61. Tacitus *lib.* XVI. *Annal. c.* 32.

quod integræ huic ſectæ paſſim arrogantiæ labes impingitur, quodque turbidos & negotiorum adpetentes fecit plus ſemel. (*f*) Cicero Catonis doctrinam paullo aſperiorem & duriorem appellavit, quam veritas patiatur; ejusque magiſtros, ait, fines officiorum longius, quam natura vellet, protuliſſe; ut cum ad ultimum animo contendiſſent, ibi tamen, ubi oportet, conſiſtere deberent. (*g*) Vt ſatis ex his appareat, Stoicorum mores & diſciplinam cum vita civili non ſatis congruiſſe, minimum Jureconſultis eam per omnia aptam non fuiſſe.

Sed quia facilius latent, quæ non comparantur, age, Paradoxa cum reſponſis Prudentum conferamus, & aliter Philoſophos, aliter Jurisconſultos aſtutias ſuſtuliſſe, apparebit. Inter illorum ſententias & præcepta erat:

Hinc toties hypocifis ab Horetio, Juvenale, Perſio, Martiale & Luciano barbatis magiſtris exprobrata eſt; & Phariſæi, qua dogmata, qua mores, Stoicis ſimilimi dicuntur apud Joſephum, qui inter iſtos nomen erat profeſſus, *in vita ſua.*

(*f*) Tacitus *lib.* XIV. *Ann.* 57. de Rubellio Plauto: *aſſumta Stoicorum arrogantia, ſectaque, quæ turbidos & negotiorum appetentes facit.* Mitius judicat Plutarchus ſupra.

(*g*) Cicero pro Murena *cap.* 29. & 31.

erat: ſapientem ſine affectibus eſſe; injuriam non accipere, nec gratia moveri; illum non exorari, non ignoſcere; neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum. Contra omnem ſenſum generis humani diſputabant, omnia peccata eſſe paria, nec minus delinquere, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem ſuffocaverit. At Juriſconſulti, homines moderati, & nihil humani a ſe alienum credentes, opinari, iraſci, & exorari nonnunquam virum bonum, ſtatuebant: valuit aliquando gratia apud eos, & relictus miſericordiæ locus. Valde incivile ipſis videbatur, eandem crimini cum maximo, tum minimo pœnam ſtatuere: regulas, quæ ſingulis maleficiis æquam irrogabant æſtimationem, in arte ſua æqui & boni ſequebantur. (*b*)

Magnus ille Stoicorum coryphæus, Chryſippus, inceſtos cum matre vel filia concubitus, argumento a gallis gallinaceis, aliisque mutis animantibus petito, probavit. Zeno uxores communes in republica decrevit: neuter in paideraſtis, fellatoribus, aliisque libi-

(*b*) Tullius *pro Murena*. *c.* 30. *l.* 19. *D. de Off. Præſidis.* Grot. *lib.* I. *c.* 20. §. 21. 23. Ampl. Bynkershoek. *lib.* I. *Obſ.* *c.* 3.

libidinum portentis, quicquam obſcœni, nihil turpe in dictis agnoſcebat: naturam ducem monſtrare, crepitus æque liberos in conviviis ac ructus eſſe debere. Verum Juriſconſulti ubivis, præter id quod juſtum eſt, honeſti quoque & decori rationem habent; & verecundiam, omnium virtutum cuſtodem, inculcant, ut nemo magis. Maxime vero in matrimonis contrahendis naturale jus & pudorem, nec id quod licet, ſed quod honeſtum eſt, inſpici jubent. Recte ſentiebant illi, per concubitum marium cum maribus naturam everti, & communione uxorum admiſſa, totam civitatem unum fore lupanar, cum columbæ etiam, aliaque muta animantia, ſervent conjugii fidem. Hoc proprium iis quaſi ſymbolum & capitalis ſententia fuit: Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt. (*i*)

Ex conſtitutione Stoica ſapientes ſoli Reges, ſoli divites, ſani & formoſi; ſoli cives, liberi, & Magiſtratus; ſoli piſtores, ſoli ſutores,

(*i*) Cicero IX. *ep.* 22. Sextus Empiricus Pyrrh. *Hypotyp.* III. *c.* 24. *l.* 14. *§.* 3. *D. de Ritu nupt.* *l.* 15. *D. de Condit. inſtit.*

tores, ſoli lentem accurate & cum judicio coquunt: inſipientes omnes peregrini, exules, ſervi, fugitivi; nec leges, urbes, civitates, niſi ſapientum. His dolor non malum, ſanitas non bonum, exilium & publicatio bonorum non fugienda, ſed rejicienda eſt. Verum quis veſtrum non videt, hanc Philoſophiam aditum in urbem, forum, curiam, nullum habere potuiſſe? Ea ſane admiſſa tollitur omnis ſtatus civilis, omne jus perſonarum, omne diſcrimen inter liberos & ſervos, cives & peregrinos, homines ſui vel alieni juris. Sed quamvis idem cum aliis ſentirent, & nomina rerum magis immutarent; inde tamen inimicitiæ inter parentes & liberos, qui non eſſent ſapientes: inde contumacia, ſui amor, privatorum denique ac Principum contemtus. Prudentius Juriſconſulti medium inter abruptam contumaciam & deforme obſequium iter elegerunt, ſatis perſuaſi, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos eſſe viros, obſequiumque & modeſtiam eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, ſed in nullum reipublicæ uſum, ambitioſa morte inclaruerunt. (*l*)

(*l*) Tullius IV. *Acad. quæſt. c.* 44. & IV. *de Finibus c.* 9. Tacitus *Agric. c.* 42.

Zenonis decretum erat, nec templa, nec ſepulchra ædificanda eſſe; quod enim non ſit magni pretii, id ne ſacrum quidem eſſe, aut religioſum. Ipſe tamen ſibi adverſus, quod culpabat, adorabat; colebat, quod reprehendebat: loca ſacra, auguria, vota, ſacrificia, & omnem religionem ſacrorum, aperta ſimulatione, ad ſuperſtitionem usque, obſervabat, non tanquam Diis gratam, ſed legibus imperatam. Verum Juriſconſulti ſummi religionis vindices, & ſacrorum cuſtodes, jus publicum in ſacris, ſacerdotibus & magiſtratibus conſiſtere ſciebant; de divinis pariter ac humanis reſponſa dabant; neminem, qui ſacra Diis, aut juſta mortuis faceret, in jus vocari permittebant, & ſummam eſſe rationem, quæ pro religione facit, ubivis teſtabantur. *(m)*

Ex præceptis Stoicorum non modo licebat, fati diem occupare, ſed & ſapiens ex ædificio putrido ac ruente, ſponte ſua, ob leviſſimam, immo nullam cauſam, migrare debebat, quia vita convivio & ludo ſimilis eſſet, a quibus ſatur & feſſus abire poteſt. At Ju-

(*m*) Laert. *lib.* VII. *n.* 33. Plutarchus *de Stoicorum repugnant.* Ælian. *l.* VIII. *c.* 14. *l.* I. *§.* 2. *D. de Juſt. & jure l.* 43. *D. de Religioſis.*

Juriſconſulti non omnibus promiſcue, nec aliter, niſi juſta fuerit cauſſa, de vita ſtatuere permittunt. Paulus militem, qui ſibi manus intulit, nec factum peregit, capite puniendum eſſe ſtatuit: Vlpianus propalam malum ſervum eſſe pronunciat, qui aliquid fecerit, quo magis ſe rebus humanis extrahat; alibi eorum, qui ob criminis conſcientiam mori, quam damnari maluerint, teſtamenta irrita facit, atque Zenonem, Empedoclem, Cleanthem, Catonem, Euphratem, aliosque Philoſophiæ ſimulatæ reos agit, quod *jactationis* cauſa ſibi ipſis fata accelerarunt. (*n*) Illi in virtute nuda ſummam felicitatem collocabant, ideoque bonis corporis, & quæ extra corpus, ad ſortem beatam conſtituendam nihil virium tribuebant. Naturam paucis eſſe

(*n*) Auguſtin *lib.* XIX. *de civ. Dei c.* 4. *l.* 38. §. *ult.* *D. de Pœnis l.* 23. §. 3. *D. de Ædilit. edicto l.* 6. §. 7. *D. de Injuſto rupto*, ubi Accurſius, Alciatus aliique per voces *vel jactationis, ut quidam Philoſophi*, mortem Empedoclis notari exiſtimant, qui Deus immortalis haberi dum cupiebat, ardentem frigidus Ætnam inſiluit. Sed Menagius ad Laert. *lib.* VIII. *n.* 69 jactationem adverſæ fortunæ intelligit: quia vana ambitio non eſt ευλογος εξαγωγη. Vide Lipſium *lib.* III. *Manud. ad Stoic. differt.* 22. 23. Fabrot. *Exerc.* V. Binkersh. *lib.* IV. *Obſ. c.* 4.

eſſe contentam; plurimum habere, qui minimum deſideret; opes a malis poſſideri; ſolam paupertatem philoſophiæ vernaculam eſſe; hæc & alia ſuis inſtillabant. At Juriſconſulti, vere philoſophi, boni viri & civis eſſe judicarunt, ſapientiam reliquis præferre, ſed non excludere bona fortunæ, tam neceſſaria rei bene gerendæ inſtrumenta: duri hominis, & in ſe iniqui eſſe, amoliri a ſe Deorum munus, & nummos abjicere, quorum ſolidum eſſe uſum, plus quam mathematicis demonſtrationibus quilibet cotidie experitur. Magis ergo ſuos admonebant, ut re & opera durum paupertatis telum effugerent: non amarent divitias, nec reſpuerent poſſeſſas, non in animum illas, ſed in domum reciperent, quo miſeris canis viaticum præberent, nec liberi egeſtate premerentur. (*o*)

Nullus finis foret, Auditores, & Veſtra patientia abuterer, ſi omnia Stoicorum paradoxa, faſtigio humano altiora, immo prudentiæ civili e regione oppoſita, commemorare vellem. (*p*) Illi vaniloquentia ſua affectus in totum exſcindi volebant: Juriſconſulti

(*o*) Gellius *lib.* 18. *c.* 1. Turnebus *lib.* 25. *Adverſ. cap.* 23.

(*p*) Hujusmodi multa uno faſce collegit Heinſius *de ſat. Horatiano pag.* 241.

ti peccata quibus impares erant, ad vindices Deos remiſerunt. Illi fatui fati legibus omnia ſubjiciebant, quibus ipſe Deus irretitus ſit, ut naſſæ piſcis: Juris noſtri auctores, ex ſcientia vel ignorantia humana, quid caſus eſſet, vel non eſſet, prudenter æſtimarunt. (*q*) Illis placebat, fetum partem ventris, non animal eſſe; & poſſe mulierem non minus fetu, ac alia corporis parte, ſe privare: Vlpianus embryonem pro nato habet, quoties de ejus commodo agitur, & mulierem in exilium exigendam docet, quæ viſceribus ſuis vim intulit, quo partum abigeret. (*r*) Stoicus in ſententia permanendum eſſe exiſtimat, & veritatem potius deſerendam, quam ſectam: Juriſconſulti variarunt, meliora edocti, & poſteriores ſententiam diviſerunt, velut erciſcundi, ſi alii cenſebant, quod ſibi ex parte placuiſſet. (*s*)

Stoicorum dogma erat: ſapientem rempublicam adminiſtraturum, ipſi vero in otio verſabantur. Pars illorum magna in lineis menſurandis & angulorum proportionibus erat occupata: alii in futili meditatione argu-

tia-

(*q*) *L. 28. §. ult. D. de Judiciis.*
(*r*) *L. 8. D. ad L. Cornel. de Sicar.*
(*s*) Vide Papinianum noſtrum c. XV. §. 5.

tiarum, nihil ad vitam neque tuendam neque ordinandam promovente, conſeneſcebant: alii ad ſyllabarum diſtinctiones & conjunctionum proprietates deſcendebant, Grammaticis velut invidentes: alii rurſus diſputationum & captionum dialecticarum laqueis adverſarios irretire ſtudebant: omnes male feriati & decretis contrarii, animum retinebant inexercitatum, & illa vere magna, atque mores publicos emendatura omittebant. (*t*) At Juriſconſulti vere viri, vere Philoſophi, ipſis operibus oſtenderunt, ad tuendos conſervandosque homines ſe natos eſſe; ideoque civilem ſapientiam partim ſcientia, partim actione cenſendo; pacis bellique tractarunt artes, iverunt in forum, ut amicis, civibus, propinquis ingenio & voce prodeſſent. Philoſophi denique ſi duce natura communes quasdam ſententias, de bonis expetendis, de malis fugiendis inveſtigarant, his contenti, mentem ad ulteriora non mittebant: verum heroes noſtri provecti ſunt longius: quicquid ubivis egregium, quicquid per ſectas diffu-

ſum

(*t*) Plutarchus in libro *de Stoicorum repugn.* eos reprehendit, quod vita decretis non conſentiret; alia etiam carpit Seneca *epiſt.* 71. & 88. juncto Gellio *lib.* x. *c.* 22. ubi verba Platonis, ex dialogo, qui Gorgias appellatur, lectu ſunt jucunda.

ſum erat, collegerunt in ſuum juris corpus; tandemque per varia temporum intervalla, tum alia ex aliis nectendo, tum experimenta utilitatis inſtituendo, pervenerunt ad illam honeſtarum actionum moderatricem, & omnium vitutum diſciplinam, quæ in publicis ſimul & privatis officiis excellit, atque civitates conſtanter, & fortiter, & perite adminiſtrat. Hæc vera, non ſimulata eſt Jurisconſultorum Philoſophia.

Si quis adhus dubitat, num Vlpianus aculeato hoc ſermone pſeudo-Stoicorum latus fodicaverit, illum ad Sacerdotium juris voco, quod noſter ſibi ſuisque ſociis adſcripſit: *cujus* (juris) *merito quis nos Sacerdotes appellet*. Olim Philoſophorum, etiam antiquiſſimorum, fuit conſuetudo, ut ſuam contemplationem Deorum vitæ ſimillimam, ſe omnium viſcerum auſpices, omnium Deorum ſacerdotes profiterentur; ſed Stoici, majore arrogantia, ſolum ſapientem ſuum jactabant & Poetam, & Rhetorem, Dialecticum, & Vatem, & Sacerdotem bonum eſſe, qui notitiam ſacrificiorum, expiationum, dedicationum, & ceterorum, quæ diis propria ſunt, perfectam habeat, & vere pietatem colat; ceteros omnes, ad ſtultum & pro-

profanum vulgus pertinere. (*u*) Jam vero ſciebat Vlpianus, omnium artium commune eſſe, ut ſacra ſibi haberent propria, earum antiſtites ſacra ſe facere prædicarent, earumque docti myſtæ, & ſacerdotes appellarentur. (*x*) Revocabat in memoriam, Deum eſſe,

(*u*) Diogenes Laertius procem. n. 1. Philoſophiæ antiſtites, *ιερεας ειναι και προφητας*, *ſacerdotes ac Prophetas* appellatos docet. Apulejus in apologia: *Si Perſarum lingua Magus eſt, qui noſtra ſacerdos, quod tandem eſt crimen, ſacerdotem eſſe? & rite noſſe, atque ſcire, atque callere leges cærimoniarum, fas ſacrorum, jus religionum? Siquidem Magia id eſt, quod Plato interpretatur θεων θεραπειαν*. Et poſtea: *An bariolis licet jecinora rimari, Philoſopho contemplari non licebit? qui ſe ſciat omnium animalium aruſpicem, omnium Deum ſacerdotem.* De Stoicis Laertius *lib.* VII. *n.* 119. *μονους ιερεας τους σοφους*; Stobæus *tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 4. *ιερεα μονον ειναι τον σοφον, φαυλον δε μηδενα.* Antoninus *de rebus ſuis l.* III. *§.* 4. *ιερευς και υπουργος θεων.* Horatius inprimis huc pertinet *lib.* III. *Ode* 1. ubi Stoicorum ſacris initiatus, ceteros ludibrio habet:

Odi profanum vulgus, & arceo:
Favete linguis: carmina non prius
Audita, Muſarum Sacerdos,
Virginibus, puerisque canto.

(*x*) Ovidius III. Amor. eleg. 8. *Ille ego Muſarum purus Phœbique ſacerdos.* Propert. lib. III. eleg. 1.

eſſe, qui principia juſti in nobis exiſtere voluit; Jovem ſummum legiſſatorem & vindicem eſſe, qui ſancta ſanctis, prava pravis, rependat; ipſam juris vocem Jovi originem ſuam debere apud Latinos, eosque Juſtitiam, Jove prognatam, inter divas retuliſſe. Juris ergo, quod artem æqui & boni definiverat, Sacerdotes vocat Juriſconſultos; quia juris ſacris operantur, Juſtitiam colunt, leges ſacratiſſimas religioſe tractant; munus civile tam ſancte, ut ſacerdotium, gerunt; oracula Themidis indies depromunt, & tanquam Jovis miniſtri, pœmiis & pœnis civium mores emendare conantur. (y) Profecto ſi alibi univerſæ Philoſophiæ deſcriptio ad Juriſprudentiam recte ab Vlpiano erat relata: ſi juriſconſulti in actu & opere vere Philoſophos, rerumque divinarum & humanarum

Primus ego ingredior puro de fonte ſacerdos. Sic omnes Chriſtiani ſacerdotes vocantur. 1. *Petr.* II. *vſ.* 5. *Apoc.* I. 6. juncto *Eſaia* 61. 6. Auguſtinus *lib.* XX. *de Civ. Dei cap.* 13. Adde Cauſabon. *ad Perſii prologum verſ.* 7.

(y) Jupiter *δικασπόλος* vocatur apud Callimachum *hymno in Jovem vſ.* 3. Heſiodus Juſtitiam, Jove prognatam, laudat. *Op. & dier.* 256. Templum Juſtitiæ Deæ conſecratum ab Auguſto Ovidius III. *de Ponto* celebravit. Servium Sulpi-

peritos ſe præſtabant: quid vetabat, eis tribuere ſacerdotii honorem, ab omnibus pſeudo-Philoſophis vulgo adoptatum? nam & ſacris vacabant, ſacerdotio in templis Juſtitiæ, in curia, in foro, in ſacro Principis auditorio fungebantur. Hi erant, ex quorum ordine olim Reges ſacrorum & Pontifices Maximi electi, nunc autem Conſiſtoriani Comites, & ſacrarii Auguſti aſſeſſores ſumebantur. Hi templa, delubra, & ſacrificia eodem ſpiritu, quo rempublicam, curabant: hi ſacerdotes ſimulatos, quo ritu, quibus diebus, quibusve hoſtiis dii placandi eſſent, docere debebant: quia magna pars juris civilis jure Pontificio & libris ritualibus erat comprehenſa, quæ omnia a Juriſconſultis velut mancipio poſſidebantur. In ſumma viros omnis juris peritos, prolixa laude cumulandos eſſe cenſuit Vlpianus, quo juvenes illorum gloria ad ſimilem ingenii cultum, & virtutes ſacerdotio dignas, incitaret. (z)

Vix

tium *Juſtitiæ magis*, *quam juris conſultum*, laudat Cicero *Philipp.* IX. Idem *juris antiſtes* vocatur apud Quintilian. *lib.* XI. *c.* I. Simmachus Impp. *juſtitiæ ſacerdotes* orat. lib. X. ep. 61. Corrippo Anaſtaſius Quæſtor *juris legumque ſacerdos* dicitur *lib.* I. *de laud. Juſtin.*

(z) *L. 10. §. 2. D. de Juſt. & jure. l. 32. §. 4. D.*

Vix mihi tempero, quin Epicureis & Stoicis, ſimulatæ Philoſophiæ convictis, addam Cynicos, quod a Stoicis tunica tantum diſſidebant, ſed initio, progreſſu & doctrina iidem. Horum ideam ut mente concipiatis, Auditores, proponite vobis ſenecionem horrenda barba, ſordibus oppleta, & bibenti moleſta, nudipedem, totum quantum ſordidum, & pellibus animalium villoſum; hominem, qui quam ſemel induit togam, non exuit, niſi detritam & laceram; qui hariolorum more in triviis obvias quasvis aras occupat, ibique in ſumma capita, ad ravim usque declamat: ſe vero ſolum ſapientem, & Regem omnium regum, canina facundia profitetur. Talem, inquam, vobis ſiſtire aretalogum, & mendicum merum, cui dolium regiæ, baculus ſceptri loco erat, qui peram

X 2 dia-

de Recept. qui arb. Porphyrius lib. II. de abſtin. §. 49. *Vere qui Philoſophus eſt, Dei altiſſimi ſacerdos habetur.* Pro Juriſconſultis Salomo Prov. XXI. vſ. 3. *Facere juſtitiam & judicium, magis placere Domino, quam victimas.* Romæ juris civilis interpretatio diu apud collegium Pontificum fuerat, poſtea viri primarii eam profeſſi ſunt, utriusque juris periti, ut docuit Briſſonius *l. IV. ſel. Ant. c.* 16. Similiter alibi ſacerdotes jura reddidiſſe, Cl. Perizonius obſervavit ad Æliani XIV. 34.

diadema, pallium vocabat paludamentum: ſed qui peſſimos mores, & impuras obſcœnitates torvitate vultus, habituque a ceteris diſſentiente, obtegere ſtudebat. Hujusmodi circumforaneum, nonne impoſtorem, vernaculum ſcurram, verum Cumanum aſinum, & quidvis potius, quam Philoſophum dixiſſetis? Nonne quod inter cauſidicos rabula, inter mercatores ſeplaſiarius, id tota Cynicorum natio inter philoſophos veros fuiſſe videtur? Jurisconſultis certe, viris aulicis, & in luce hominum verſantibus, non poterant non moleſti eſſe miſeri hi circulatores, convivia beatorum frequentantes, atque canum more, in eos, qui ſtipem negabant, injurii, ceteris vernili adulatione blandientes. Quinimo pueri, lenones & meretriculæ ſtolidam barbam in publico his vellebant; ipſi vero, ſtulta diſſimulatione, vix ſputa & verbera a ſe defendebant, ut argumentum haberent, in quo ſuam illam admirablilem patientiam oſtentarent. (*a*)

Jam

(*a*) In Cynicos, hoc tempore ſcholam non habentes, frequentes tamen, graviſſime invectus eſt Martialis *lib.* IV. *Epigr.* 53. Lucianus *in Cynico*, & *Vitarum auctione.* Julianus etiam *orat.* 7. graphice eorum mores deſcribit, & monachos cum illis comparat, quorum inſtitutum *Philoſophiam* vocat

Jam ad finem properat oratio, Auditores, & diu nimius fui in vitiis Philoſophorum conquirendis: ſed quia nonnulli veſtrum forſan cogitabunt, veteres illos homines fuiſſe, non Deos, nec paucorum crimen in omnium odium ab Vlpiano trahendum fuiſſe; idcirco permittite mihi, ut paucis adhuc æmulationem tangam, quæ omni tempore Juriſconſultos inter & Philoſophos ma-

Majorianus in Novell. *de ſanctit.* Salvianus *lib.* 2. *ad Eccl. Cathol.* aliique apud Cujacium in Paratitlis *ad tit. C. de Epiſcop. & Cler.* Frenium *Gloſſ. Grac. voce* Φιλοσοφια. *Ignaviæ ſectatores* vocantur in *l.* 26. *C. de Decurion.* Triboniano monachus *ſimplicitate gaudens & deſidiæ deditus* dicitur in interpolata *l.* 25. *D. de Probat.* Quod in tranſcurſu Paganino Gaudentio *de Philoſophia apud Rom. c.* 72. dictu eſto. Plautus Cynicos *paraſitos*, Seneca *circulatores*, Suetonius *aretalogos* appellavit. Horatius *lib.* 1. *Sat.* 3. v. 133. apposite:

. . . vellunt tibi barbam
Laſcivi pueri; quos tu niſi fuſte coerces,
Vrgueris turba circum te ſtante, miſerque
Rumperis, & latras magnorum maxime Regum.

Idem lib. 1. ep. 19. vſ. 12.

Quod ſi quis vultus torvo ferus, & pede nudo,
Exiguaque toga SIMVLET textore Catonem,
Virtutemne repræſentet moresque Catonis?

gna fuit, ſed maxima a temporibus Marci Antonini. Quemadmodum enim qui prædia contermina habent, de vicinitate facile colliduntur; ſic difficillimum erat, inter Stoicos & Juriſconſultos, ejuſdem moralis Philoſophiæ cultores, æmulationem non oriri, quæ nata primum videtur ex conjunctione ſtudiorum, aucta inæqualitate præmiorum, exarſit invidia, cujus finis odium fuit & ſimultas. Accedebat animus Stoicorum mordax, & ſtudium argutiarum, & peritia ſophiſmatum, quibus irretire ſtudebant Juriſconſultos, rebus magis, quam captionibus intentos. Denique inſita mortalibus natura, horum recentem felicitatem ægris oculis intuebantur, modumque fortunæ a nullis magis exigebant, quam quos in ſubſelliis ſuis nuper diſcipulos viderant, vel comilitones. Jam inde a Ciceronis ævo concertationis hujus veſtigia ſuperſunt; qui licet ipſe Philoſophiæ mirifice deditus, ſub Craſſi perſona tale judicium interpoſuit, ut pro Juriſperitis pronunciarit, & omnibus Philoſophiæ ſanctuariis prætulerit duodecim Tabularum libellum. Locus illuſtris, & cum Vlpiani verbis omnino conjungendus: (b) *Sive quem*, infit,

(b) Ciceronis ſunt verba *in primo de Oratore*. At Petrus Petitus *lib.* IV. *Miſc. obſ. c.* 5. egregium

ſit, præpotens & glorioſa Philoſophia delectat, (dicam audacius) hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, qui Iure Civili & legibus continentur. Ex his enim dignitatem maxime expetendam videmus, cum verus, juſtus, atque honeſtus labor honoribus, præmiis, atque ſplendore decoratur: vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte multantur: & docemur non infinitis concertationumque plenis diſputationibus, ſed auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. Fremant omnes licet, dicam quod ſentio, bibliothecas mehercule omnium Philoſophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate, ſuperare.

Ecce! idem, ſed acerbius fuit Tullii judicium, veram Philoſophiam, quæ circa

 præ-

hoc Romanæ arrogantiæ ac vanitatis argumentum vocat, & æmulationi tribuit eum Græcis, vel ut perſonæ, quam inducit loquentem, ſerviret. Verum Horatius XII. Tabulas *leges ſanctas*; Livius *fontem omnis publici privatique juris*; Tacitus *finem æqui juris* appellavit.

præmia & pœnas verſatur, non tam in Græcorum philoſophicis ſcriptis, quam in duodecim Tabulis, omnis publici ac privati juris fonte, reperiri. Philoſophi contra pleraque Decemvirorum humilia, plebeja, & ridicula habebant, præ his, quæ ipſi in ſcholis ſuis de Deo, de providentia, de ſummo hominis bono, de modeſtia, temperantia, de morum honeſtate, de officio, maxime vero de vitandis vitiis, etiam illis, quæ ſub ſpecie honeſti plurimis imponunt, diſſerebant. Animos eorum exulcerabat, quod Juriſconſultos ad faſtigia honorum evehi cernebant; plurimum gratiæ eos conſequi apud conſultores; latiſſime eorum manare induſtriam; atque ea tantum, quæ in ipſis rerum obtinebant argumentis, ab iis tractari. Hinc virus, quod in artem juris nil valiturum erat, in juris auctores ſumma iniquitate evomebant. Horatius, Stoicorum filius, neque Alpheno pepercit, neque Labeoni, nec Trebatio aut Galbæ; quia ipſe legum imperitus (c) Perſius Maſuri rubricam arrodit, Arrianus Caſſii præcepta ſugillat, etiam ubi id minime putes.

(c) Horat *lib.* I. *ſat.* 2. *verſ.* 46. & III. *vſ.* 82. 130. *lib.* II. *ſat.* I. *verſ.* 7. *ſeqq.* juncto Cicerone *lib.* VII. *ep.* 10. & 22.

Digitized by Google

tes. (*d*) Turpius Seneca, ut ſimulatos magiſtros ſuos tueatur, ſub diſcipuli perſona *acutas Juriſconſultorum*, quas vocat, *ineptias* perſtringit: eorumque *reſponſa valere* ſcribit, *etſi ratio non reddatur*. Alibi Juriſconſultos *pallidos*, *graciles*, *vix animum habentes*, e tenebris producit: alibi *jurisdictionem inſanis committi*, criminatur. Majore inſolentia alibi: Nos, ait, *nos certe dicimus*, *&* *Zenonem & Chryſippum majora egiſſe, quam ſi duxiſſent exercitus, geſſiſſent honores, leges tuliſſent, quas non uni civitati, ſed toti humano generi, tulerunt.* Alibi rurſus quærit: *An ille præſtat, qui inter peregrinos & cives, aut urbanus Prætor adeuntibus Aſſeſſoris verba pronunciat: quam qui docet, quid ſit pietas, quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contemtus, quid deorum intellectus,*

(*d*) Perſius *ſat.* v. de Sabino: *Excepto ſi quid Maſuri rubrica notavit.* Arrianus ad Epictetum lib. IV. c. 3. *Hæ ſunt illinc miſſæ leges: hæc edicta: horum interpretem eſſe decet; his parere; non Maſurii & Caſſii præceptis.* Menagius *c.* 43. *Amœnit.* & Bertrandus *in vita Sabini*, hos JCtos, tanquam præſtantiores, nominari exiſtimarunt: Lycklama VII. *Membr. ecl.* 37. Perſium ad Maſurii librum de furtis reſpexiſſe, contendit: At, qui novit acutum illud Stoicorum ingenium, & odium adverſus Sa-

quantum bonum ſit conſcientia bona? (*e*) Hæc Seneca tempore Neronis: ſub Domitiano, togæ Romæ gloria, Quintilianus querebatur, Philoſophos inferiora omnia præceptis ſuis ac litteris habere. (*f*) Et plerique poſteriores, cum irriſione audientium, militem glorioſum imitabantur, unde *gloriæ animalia* dicti. (*g*)

Verum quia Vlpiani tempore majus evaſerat Juriſprudentiæ lumen, ejusque cultores ad ſummos quosvis honores adſcendebant, ilia Philoſophorum rumpebantur. Quicquid enim a Græcis ſapientibus de republica, de legibus, de finibus bonorum & malorum, ambitioſis diſputationibus effuſum erat, id nugis excuſſis in artem ſuam transtulerunt Juriſconſulti; ut quod antea fuerat otii

binianos, is facile nobiſcum faciet. Tantum in explicandis auctoribus refert, ſcire nationem! Vide etiam Galvanum *de Vſufruct.* c. 5.

(*e*) Seneca *lib.* VI. *de benef.* c. 5. *Epiſt.* 94. *Ludo de morte Claudii*, *lib.* II. *de Benef.* 35. *de Otio ſapient.* c. 32. *de Tranquill. anim.* c. 3. Merill. I. *Obſ.* c. I.

(*f*) Quintil. *lib.* V. *Inſt. orat.* c. XI.

(*g*) Sic Tertullian. *de Anima* c. I. *Nedum Philoſophus gloriæ animal, cui nec conſolanda eſt injuria, ſed potius inſultanda.* Hieronymus in epiſt. ad Theophilum Alex. *Philoſophus gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium.*

Digitized by Google

otii levamen, nunc indies magis magisque converteretur in ſemen publicæ utilitatis. Nihil fere egregium in ſcriptis Græcorum reperiri poterat, quod non pauciſſimis illis juris præceptis: Honeſte vivere: alterum non lædere: ſuum cuique tribuere, comprehenſum eſſet. Philoſophi præceptorum ſuorum ratas ſententias jactabant: & Salus populi ſuprema lex erat noſtris: Ignaviam prætendentes audiri nolebant; Jura vigilantibus ſcribi: civilem ſapientiam, rem ſanctiſſimam eſſe ajebant, minime pretio nummario dehoneſtandam. Tam pulcras autem doctrinas maxime ornabant facta iis conſentanea, decorabat magnitudo animi, quæ nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam, referebat, recteque facti non ex populi ſermone mercedem, ſed ex facto petebat. Poſſem Auditores, adductis exemplis, & comparatione inſtituta, ad liquidum perducere, plures Juriſconſultorum veræ Philoſophiæ leges tum expleviſſe, quam Græcæ ſapientiæ fictos auctores. Poſſem oſtendere, horum alios Regum adulatores, alios ſcortorum amoribus, alios impudentiæ addictos fuiſſe. Poſſem enumerare ſectas eorum innumeras, otium perpetuum, & acerrimas de rebus nauci lites; Sed ohe! jam ſatis eſt. Omne nimium

in-

Digitized by Google

inhoneſtum eſt, & gratiam perdunt natura rei apta, niſi modo quoque temperentur. Sufficit, non facile quenquam ex iſtis, qui ſapientiæ ſtudium habitu corporis olim prætulerunt, cum his viris comparari poſſe, qui ingenium, laborem & fidem ſuam patriæ promtam expoſitamque præbuerunt: qui ita juſti, ita boni viri, ita periti, ac prudentes, ut natura, non diſciplina, conſulti eſſe videantur. (*b*)

Cauſa AA. perorata eſt: Vos nunc judices ſurgite, & in conſilium ite, veram, an ſimulatam Philoſophiam affectarint Juriſconſulti, & uter ordo propius pervenerit ad ſummum humanæ ſapientiæ culmen. Vt veterum

(*b*) Juriſconſultorum vere philoſophantium elogia & exempla dabit Cicero *pro Cæcin. c.* 27. *&* *Philipp.* IX. Valerius Max. *lib.* VI. *c.* 4. Tacitus *lib.* XVI. *Annal. c.* 7. Plinius *lib.* I. *ep.* 22. Athenæus *lib.* VI. *c.* 21. Spartian. *Carac. c.* 8. De philoſophis oratorie Quintilianus declamat. 268. *Vt omnes in unum Philoſophos contraham, non tamen inter eos conſtare poteſt, quæ potiſſimum ſecta diſcenda nobis: quibus præceptis parendum ſit. Pugnant inter ſe, atque diſſentiunt: & perpetuam hanc per ſæcula litem trahunt. - Quibus credam? quibus accedam? quicquid probavero, plures negaturi ſunt, nec quæcunque præcipiuntur, ſtare poſſunt. - - Quis uſus ipſorum virorum? Militiæne utiles, an civili-*

rum conſenſu, (*i*) ſic Veſtro judicio ſtabit Vlpiani honos, nec metuet ſibi inpoſterum a calumniis eorum, qui vero faſtu fictam ejus arrogantiam calcarunt. Nemo, opinor, Turnebe, tecum amplius vitio vertet virorum principi, quod homines, gloriæ amore tumidos, ac ceteros præ ſe contemnentes, unico vocabulo notarit; niſi & Prophetas, Apoſtolos, ipſumque Servatorem noſtrum, culpandos cenſeas, quod fucate piis, & perſo-

bus officiis? Quid in his deprehendas, præter fictam frontem, & perpetuum otium, & quandam ex arrogantia auctoritatem?

(*i*) Diſerte Plato activam, moralem & πολιτικην Philoſophiam *veram* appellat, *epiſt.* 10. Ariſtoteles *lib.* 1. *Ethic. c.* 2. Cicero *lib.* xv. *epiſt.* 4. Dionyſius Halicarn. *in judicio de Iſocrate*, Themiſtius in oratione, quam βασανιστην vocant, notas, ſymbola & γνωρισματα poſuit, quorum beneficio verum Philoſophum ab adulterino diſcernere liceat. Quintiſianus lib. xi. Inſt. orat. c. 1. *Virum civilem VEREQVE ſapientem* vocat, *qui ſe non otioſis diſputationibus, ſed adminiſtrationi reip. dederit, a qua longiſſime iſti, qui Philoſophi vocantur, receſſerunt.* Lactantius lib. iii. de Falſa ſap. c. 16. *Sapientia*, inquit, *niſi in aliquo actu fuerit, quo vim ſuam exerceat, inanis & falſa eſt; recteque Tullius civiles viros; qui remp. gubernent; qui urbes, aut novas conſtituant, aut conſtitutas æqui-*

Digitized by Google

ſonam agentibus alienam, reſtiterunt. (*l*) Paulus diſerte monuit Coloſſenſes, viderent, ne quis eos deciperet per inanem fallaciam, quæ ex ſimulata Eſſenorum Philoſophia, & præceptis Phariſæorum, a Porticu petitis, tum oriebatur. (*m*) Hunc quoque ſi quid valetis, Adriani aſſeclæ, confutate; & falcem moroſam in meſſem non veſtram miſiſſe pœnitebit. Faceſſant nunc etiam, quotquot ſunt artis noſtræ oſores, qui cum Eunapio Sophiſta, cum Zabarella & Picolomineo, in ridiculam ſententiam eunt, Jurisprudentiam ſimplicem peritiam ſine arte, ſine ratione eſſe, quæ Philoſophiæ nomen haud mereatur. Valeant barbari juris Doctores, & ad Anticyras navigent, qui cum Ferrarienſi illo non Philoſopho, ſed ἀσοφῳ, rancidam illam næniam crepant: *Philoſophiam ad jus diſcendum magis obeſſe, quam prodeſſe.*

Nos

tate tueantur; qui ſalutem, libertatemque civium vel bonis legibus, vel ſalubribus conſiliis, vel judiciis gravibus conſervent; Philoſophiæ doctoribus præfert.

(*l*) *Jerem.* VII. 4. *Eccl.* XIX. 24. *Matth.* XXIII. 5. *Marci* VII. 2. *Lucæ* XVIII. II. 2. *Corinth.* XI. 31. 2. *Tim.* III. 5.

(*m*) *Coloſſ.* II. 8. Haſmoneorum decretum erat: *Maledictus ſit, qui docet filium ſuum Philoſophiam Græcam.*

Nos vero, Auditores, per omnem vitam philoſophemur, ſenes juvenes; nulla ætas ſapientiæ immatura eſt. Vt corpori medicina, ſic illa menti ſanandæ inſervit. Plato beatam prædicavit rempublicam, cujus rectores philoſopharentur. Nunquam adeo barbaries inter nos convaleſcat, nunquam ſic contra virtutes & prudentiam civilem conjuretur, ut non veræ Philoſophiæ nomen venerabile & ſacrum maneat; quod tunc fiet, quando ejus ſtudium porro tranquille tractabitur, nec de rebus aut difficillimis, aut non neceſſariis, argutiſſimæ diſputationes habebuntur. Inprimis autem æternam illam & veriſſimam ſapientiam quæramus, præ qua omnia luſus, omnia pulvis, & omnia nihil ſunt. Meum eſt conſilium, illa inquit, & æquitas: mea eſt prudentia, mea fortitudo: per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt!

Nunc tandem ad Vos mea ſe convertit oratio, cariſſimi Comilitones, qui Jurisprudentiæ fidem dediſtis. Vos, inquam, ad veram, non ſimulatam, juris naturalis Philoſophiam invito; ſine qua ſtudium veſtrum multorum camelorum onus erit, Siſyphi ſaxum ingens, quod magno labore advolutum relabetur. Quæ enim per Deum immortalem!

ve-

veſtra eſſe poteſt juris ſcientia, niſi ad æquitatem naturalem revocetur? Vnde autem veræ æquitatis regulas petetis, niſi ab arte æterna æqui & boni? Natura optima humani generis magiſtra eſt; illa ſemina juſti pectoribus Veſtris inſevit, quæ ſi negligantur, urenda filix, ſtupor & ruditas iis innaſcetur. Cavete Vobis ab ignaviæ patronis, qui, pernicioſo in publicum exemplo, jus illud naturæ, tanquam cerebrinum & nugatorium damnant, atque cum Epicureis omnes meliores litteras, etiam hanc nobiliſſimam fugere jubent diſciplinam, quo ignorantiæ ſuæ velificentur. (*n*) Aliter longe veteris ævi ſapientes, qui diſciplinis ſuis hoc maxime argumento, quod naturam ſequerentur, fidem adſtruxerunt. Priſci Juriſconſulti non ſemel hoc ipſum profeſſi ſunt: Jus ſuum naturam ſequi; ſimplicitatem legibus amicam eſſe; inde vim vi repellere licere; neminem cum alterius detrimento locupletari debere; aliaque id genus infinita derivarunt. Profecto ratio naturalis a Juris Civilis corpore ſi divellatur, putridum ſine anima ſupererit cadaver,

mon-

(*n*) De his, aliisque non veris, ſed ſimulatis artis noſtræ alumnis, dicam alio tempore, ne quis illud Catulli objiciat: *ſed non videmus manticæ quod in tergo eſt.*

monſtrum ingens, cui lumen ademtum eſt. Hærebitis ubivis, ſi æquum ab iniquo ſeparandum, ſi licitum ab illicito diſcernendum erit: deerunt Vobis regulæ bonæ interpretationis; ſummum jus ſumma injuria fiet; & prætextu juris ſcientiæ hominum vita & fortunæ inſidiis exponentur.

Nolim autem exiſtimetis, me, dum juris naturalis præſtantiam laudo, detrahere aliquid velle juri Romano, cujus æſtimationem & cultum non niſi cum vita deponam. Ipſe indies, juxta cum aliis Clariſſimis Collegis meis, ad quatuor Inſtitutionum libros viam Vobis aperiam: nec leges tantum, & earum occaſionem, ortum, progreſſum, durationem, ex hiſtoriarum monumentis exponam. Verum quemadmodum illi, qui ædificia exſtruunt, non neceſſitatem modo & utilitatem, ſed pulchritudinem quoque ante oculos ſibi proponunt; ſic & ſobriæ criticæ atque amœnitatibus erit locus: ut tamen ſemper memores ſimus moniti Grotiani, ne cultu verborum nudo ipſam ejus ſapientiæ vim infringamus. (*o*) Omnino animus veſter, velut vomere,

(*o*) Grotius lib. v. Hiſtor. ad A. 1596. *Civile ſtudium Doctorem habuit Hugonem Donellum, qui, Connani & Duareni veſtigiis inhærens, legum diſciplinam in ordinem artisque modum compoſuit, reci-*

Digitized by Google

mere magis proſcindendus erat ſtudiis humanitatis, ac prorogato tempore ſtudiorum, in collegiis Philoſophiæ rationalis, & moralis, ad ſementem præparandus, antequam ad Jurisprudentiæ ſacra accederetis. Illa anſas præbent, quibus reconditos Jurisconſultorum ſenſus tenemus; illa ſcalas habent, quibus ad veræ eruditionis, prudentiæ atque honorum culmen aſcenditur. Simulatio, & quicquid perſtrinximus vitiorum, priſcis gentilium Philoſophis, non Philoſophiæ, imputanda ſunt. Cicero hanc mentis ſanitatem appellavit, & maximum munus, quod generi humano datum eſt.

Vt tertia Juris Canonici diſciplina cum jure Naturali & Civili conjungatur, non modo *juris utriusque*, ad quem tantopere adſpiratis, & pars magna feſtinatis, titulus, ſed & ſtudii illius dignitas & utilitas, vos commonere debebant. Inſignem quippe uſum jus illud habeat oportet, quod ex Sacra Scriptura, ex Canonibus Eccleſiæ naſcentis, ex ſententiis Patrum doctiſſimis eſt collectum; quod æquitatem & pietatem ſpirat ubivis, conſcientiis

fis, quæ ſuperioris ævi ſecura nimium imperitia turbarat: non tamen ut recentiori inertia accederet, quæ nudo verborum cultu ipſam ejus ſapientiæ vim infregit.

Digitized by Google

tiis medetur, tricas ſpernit, & centum denique annis citius, quam jus Romanum, ubivis terrarum eſt receptum. Marcus Cato Sergium Galbam olim accuſaſſe fertur, quod jus Pontificium diſcere nollet: ſed hodie multis accuſatoribus opus foret. Non vos deterreat ſuperſtitio & faſtus Pontificis Vaticani, cui dudum valediximus. Veram Juris Canonici ſcientiam a ſimulata ſeparabo, ſcorias ab auro; & ſic jucundum erit vidiſſe, quibus artibus canones deſtruxerint ſtatum Laicorum, ut ad ſuum molendinum omnia referrentur. Evolvite domi, ſodes, Böckelmanni Differentias juris Civilis & Canonici, quas explicaturus ſum: (*p*) is ubivis jus Canonicum, quoties vere a jure civili differt, moribus receptum eſſe docebit. *Mores noſtri*, generaliter infit, *magis Canones ſequuntur, quam leges civiles in multis, ut patet ex deciſionibus Curiarum Hollandiæ, Zelandiæ, Weſtfriſiæ* &c. (*q*) Et hujus tamen juris prorſus imperiti creantur Doctores: O tempora! o mores! Quid ergo ſupereſt, Commilitones, cur dubitetis, quin

 ad

(*p*) Quid de nimio ejus differentiarum ſtudio habendum ſit, quarum ne pars quidem dimidia eſt vera, oſtendam, Deo dante, in Diſſertatione *de Spuriis Juris Civ. & Can. differentiis*, volumine ſecundo. (*q*) pag. 20.

ad harum ſcientiarum, tam utilium, tam pulchrarum, cognitionem adipiſcendam, omnis diligentia adhibenda, omnis labor perferendus ſit. Propoſita habetis tot ac tam illuſtria ad imitandum exempla; fulti eſtis adminiculis, ad tantam rem neceſſariis. Agite ergo, & vosmetipſos ſic eruditos oſtendite, ut ſpes Vos pulcherrima foveat, toto legitimo ſtudio abſoluto, rempublicam poſſe, in partibus ejus Vobis credendis, recte gubernari.

Ad te autem, Deus Optime Maxime, qui æterna Sapientia es, exordium & finis noſtrarum actionum, ad te, antequam finiamus, ſupplices devolvimur. Tuere hanc Vrbem, hoſpitium Eccleſiæ tuæ: ſerva ejus Rectores, patriæ ſuæ Patres: proſpera docentium & diſcentium in hac Academia conatus: ſuffice nobis vires tanto muneri neceſſarias: da animum officii memorem, & cupidum veritatis. O SOL JVSTITIÆ illuſtra nos, & unicum vitæ atque laboris ſcopum, nominis tui gloriam, Eccleſiæ commodum, & Reipublicæ incrementum nobis largire.

DIXI.

COR-

CORNELII VAN ECK,

JCTI ET ANTECESSORIS VLTRAJECTINI,

ORATIO ACADEMICA,

DE

RELIGIONE

ET

PIETATE VETERVM JCTORVM,

HABITA A. D. XVIII. MART. MDCCXVII.

CVM

Rectoris Academici munus tertia vice deponeret.

Digitized by Google

VTi nihil publice utilius, nihil cultoribus & doctoribus cujusvis Diſciplinæ dignius eſt, quam animis ſtudioſorum Adoleſcentum inſerere atque inſtillare bonam & honorificam opinionem de præſtantia, neceſſitate, &, quam in vita ac ſocietate civili præbent, utilitate, Artium, quibus perdiſcendis ſe addixerunt; ita nulla major ſtudiorum pernicies, nulla capitalior in Re Publica Litteraria peſtis eſt, quam diverſas & alienas ab ea, quam ipſi profitemur, artes, ſcientias, exemplo nimium periculoſo, calumniari, cavillari, & in odium ac contemptum adducere.

Quod fatum, nullo ſuo merito, experta eſt ante alias diſciplinas Juris Romani Prudentia, quæ, licet eam, tanquam rationem ſcriptam, & Æqui Bonique Palladium cælo demiſſum, tantum non omnes politiores & humaniores gentes colant, & venerentur, dudum eſt, quod non uno nomine male audire cœpit, non modo apud imperitam plebem, iniquiſſimam optimarum rerum arbitram, ſed & apud eruditos aliarum artium, &, quod plus eſt, apud nonnullos, quos minime decet, ipſius Romani Juris Profeſſores,

qui

qui tunc demum ſibi ſupra alios ſapere videntur, & cerviculam jactant, quando in Juſtinianum & Tribonianum acerrime & inclementer invehuntur, ac debacchantur, & in conquirendis, quos ipſi ſibi fingunt, Legum Romanarum nævis & vitiis, omnes ingenii vires periclitantur. Quam aperte ſuam produnt ineptiam & temeritatem, quando paſſim, prompta ſemper & parata ad vellicandas optimas leges maledicentia, quavis non data ſed ſtudioſe quæſita occaſione, non modo in Triboniano, Juris Juſtinianei architecto, ſed, quod eſt intolerabilius, in ipſis Veteribus JCtis, quibus nihil melius, nihil doctius Sol iſte conſpexit unquam, audent deſiderare ingenium, judicium, eruditionem, & bonam fidem, ac plus quam cenſorio ſupercilio culpare, ridere, explodere inſcitiam, ſocordiam, oſcitantiam, nimiam denique & miſeram ſubtilitatem. Quaſi ea viveremus tempora, quibus ſtudioſi Legum adoleſcentes his perverſis, & parum honorificis de Juris Romani præſtantia opinionibus, tanquam frenis cohibendi ſint a nimia & inutili ſtudiorum intemperantia, & nil profutura Legum antiquarum cura & inveſtigatione, ut, hoc peſtilenti negligentiæ ſidere afflati, quidvis potius diſcant, quam Jus Romanum,

 cu-

Digitized by Google

cujus tamen ignoratio, & contemptus, ſi dicendum eſt, quod res eſt, unica eſt cauſa, quare, cum in Forum venerint, putent ſe in alium terrarum orbem eſſe delatos.

Quæ tanto diligentius ſunt refellenda, quanto cenſores illi, ſed vitio creati, majore in Re Litteraria eruditionis laude & fama celebrantur, ne ſi recipiantur, & invaleſcant, magnis paſſibus revertamur ad triſtem illam & illætabilem barbariæ noctem, ſuperioribus ſeculis humaniorum litterarum, præſertim autem renaſcentis Romanæ Jurisprudentiæ, luce feliciter diſpulſam.

Sed eſt, quod nobis gratulemur, nec olim defuiſſe, nec hodie deeſſe decora ingenia, ac Doctos Juris Interpretes, qui iniquiſſimas calumnias ſumma eruditione & ſolidis rationibus a Civilis Sapientiæ majeſtate repulerunt. Quos inter licet fatear, me ultimo, vel nullo forte loco cenſendum eſſe, non potui tamen ab animo meo impetrare, cum mihi hodie muneris mei ratio inevitabilem impoſuiſſet neceſſitatem ex hoc loco verba faciendi, quin & ipſe aliquid, pro ingenii mei modulo, afferrem opis & auxilii ad Diſciplinæ noſtræ dignitatem, aliqua ſaltem in parte, eaque, niſi vehementer fallor, haudquaquam minima, contra malevolos cenſores tuendam & aſſerendam. Vt

Digitized by Google

Vt enim nunc aliarum obtrectationum, quibus Romanas leges traducunt, iniquitates omittam, illorum errorem refutare conabor, qui affirmare ſuſtinent, &, diſſeminata in vulgus peſtifera opinione, aliis perſuadere conantur, rem eſſe periculoſæ plenam aleæ, ac vitæ, morumque Pietati, & Religioni Chriſtianæ damnoſum, Adoleſcentes, Foro, ac Reipublicæ deſtinatos, Artem Boni & Æqui (ut de Reſcriptis & Conſtitutionibus Principum Romanorum, Ethnicæ Superſtitioni addictorum, nunc nihil dicam) docere ex Reſponſis Veterum JCtorum, quæ Triboniani induſtria & diligentia nobis in Pandectarum volumine reliqua fecit; Fuiſſe enim eos homines, non modo a perſuaſione veræ, id eſt, Chriſtianæ Religionis alienos, ſed & juratos Chriſtiani nominis hoſtes; Ex Legibus autem & Reſponſis Gentilium Jus docere, & diſcere, ac civium controverſias decidere, perinde eſſe, ac coram Infidelibus & Ethnicis judicibus, juris experiundi cauſa, litigare, quod tanta cum ſeveritate improbet Paulus Apoſtolus; (*a*) Hos inter Domitium Vlpianum non modo Chriſtianos odioſo *Impoſtorum*(*b*) no-

(*a*) *Epiſt.* 1. *ad Corinth. cap.* 6. (*b*) *l.* 1. §. 3. *ff. de Extraord. cognit.*

nomine deſignare, ſed & nefaria Principum Romanorum Reſcripta & Edicta collegiſſe, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores veri Dei profiterentur; Julium Paulum autem Christianos appellare *homines ſimplicitate gaudentes, ac deſidiæ deditos*. (c) Et quæ ſunt id genus alia vanæ ac fictæ criminationis capita, quibus probare nituntur, ſatius eſſe, & magis e Republica, jurisprudentiam addiſci, & lites dirimi ex patriis & vernaculis cujusque Gentis legibus atque Inſtitutis, Chriſtianorum Principum & Magiſtratuum auctoritate promulgatis, quam ex ſcriptis hominum, qui vix, ac ne vix quidem, aliquem veri Dei intellectum ſortiti ſunt, & a quorum ſententiis atque opinionibus nil niſi Religionis & Pietatis labes ac corruptela metuenda, atque exſpectanda ſit; (d) Sic ut parum abſit, quin in illos pronuncient ſacrum illud, & horrendum carmen, *Odi profanum vulgus, & arceo.*

Neſcio quænam in hos cenſores nova inceſſerit Religio, ſed hoc ſcio, eos cum ſua illa Religione dignos eſſe odio. Quorum injuſtam criminationem ut ab Arte noſtra, ejus que

(c) L. 25 ff. de Probationib. v. Bertrand. & Guil. Grot. in Vita Vlpiani & Pauli. (d) vid. Franc. Hotomanni Anti-Tribonian. cap. 15. & 18.

Digitized by Google

que Auctoribus & Conditoribus, propulſem, conſtitui, quantum per temporis anguſtiam, & veſtram, Auditores Humaniſſimi, patientiam licebit, hac hora diſſerere *de Religione & Pietate Veterum ICtorum*, quæ merito dicitur *Homini tutiſſima virtus*, qua nihil melius Divino munere mortalibus dari potuit, qua ſublata, fidem etiam bonam, & ſocietatem humani generis, & excellentiſſimam virtutem, Iuſtitiam, tolli neceſſe eſt, ut vere ait M. Tullius Cicero.

Quod argumentum nec mea juris, præcipue Romani, docendi prouincia, nec veſtra attentione, indignum eſſe exiſtimo, nec alienum ab hac occaſione, qua inſignia Magiſtratus Academici, a Collega Theologo accepta, tradam Collegæ Theologo, medius inter Deceſſorem, & Succeſſorem, quorum eſt, Iuuentutem, curæ ſuæ creditam, ſinceræ Pietatis, & veræ Religionis principiis ac præceptis imbuere, &, non modo ad meliorem in his terris frugem perducere, ſed & ad beatæ illius, atque æternæ, poſt depoſitam fluxam hanc & incertam vitæ ſpem atque exſpectationem, incitare & inflammare.

Vt autem has JCtorum virtutes vobis probem, non dicam tantum abeſſe, ut veræ Religioni ac Pietati ab illorum Reſponſis aliquid

quid metuendum ſit periculi aut detrimenti, ut, in quo ridicule gloriatur Accurſius,*(e)* jus Romanum illis abundet Pietatis & Probitatis Regulis, quibus perceptis atque obſervatis, illi, qui huic Scientiæ ſedulam operam dederint, carere poſſint ſtudio Theologiæ, ad conſequendam rerum Divinarum notitiam, utpote quæ ex Legum Romanarum libris abunde peti & hauriri poſſit; Non mea faciam verba Viri Eruditiſſimi, Dionyſii Gothofredi, cum nimia exaggeratione conjuncta, quando inquit: *(f) Quod conſilium ICti* (Ulpiani) *quoties apud me diligentius retracto, audenter jam dicam, inter ICtum & virum bonum nihil intereſſe, certiſſimam denique ad cœlum viam eſſe noſtram juris Profeſſionem, ſi ad æquum & bonum revocetur.* Non amplectar opinionem Baldi, *(g)* qui non veretur affirmare, *Spiritum Sanctum, ut alia juris Romani præcepta, ita in ore Prætoris poſuiſſe Edictum,* QVOD METVS CAVSA GESTVM ERIT, RATVM NON HABEBO; *Eamque*

(e) *V. Accurſii Gloſſam ad l.* 10. *§. ult. ff. d. Juſt. & Jure. Conring. de Civili Prudentia cap.* 3.
(f) *V. Notas Gothofredi ad l.* 1. *§.* 3. *ff. de Periculo & Commodo Rei Venditæ.* (g) *ad l.* 27. *Cod. de Appellationib.*

que eſſe vocem Dei ab homine prolatam; Denique non accedam ſententiæ Jacobi Bouricii, celebris JCti Friſii, qui ſcribere non veretur, Moſaicarum & Romanarum Legum atque pœnarum tantam eſſe conſonantiam, ut Veteribus illis JCtis Romanis, licet Ethnicis, a Deo inſpirata fuiſſe ea, quæ litteris prodiderunt, firmiter credendum ſit; (*h*) ſed hic operam dabo, ut Vobis perſuadeam, juriſconſultos noſtros fuiſſe bonos Philoſophos Morales, meliores Theologos, Optimos denique patriæ ſuæ Cives; Quo evicto, ſponte evaneſcent vanæ obtrectatorum & ineptæ accuſationes, conſtabitque, ſalvam, a JCtis quidem Romanis, eſſe omnem Pietatem & Religionem.

Ad quod demonſtrandum magnum præjudicium præbet, quod omnes fuerint addictiſſimi Philoſophiæ Morali, præſertim Stoicæ, quæ ſemper habita fuit vitæ dux, omnis virtutis indagatrix, & fida depoſitoria atque expultrix vitiorum, *a qua nunquam*, ſi qua fides Annæo Senecæ, *recedit Iuſtitia, Pietas, Religio, & omnium comitatus virtutum;* Quæ non in reconditis ac tenebricoſis diſputationibus, & vanis atque inanibus verborum

(*h*) *V. Bouricii Captivum in Præfat. p. 1. & 3.*

rum concertationibus, ſed in moribus formandis occupata, eosdem habet fontes, qui jure Civili ac legibus continentur. (*i*) Secundum hujus utiliſſimæ Scientiæ præcepta, juſtitiam colere, id eſt, pura, integra, & incorrupta mente venerari, ſe profitentur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu pœnarum, ſed & præmiorum ſpe, efficere cupientes, veram Philoſophiam, non ſimulatam, affectantes, ut de ſe, aliisque ſui ordinis egregie cordatis viris, teſtatur Vlpianus noſter. (*k*)

Hos inter Q. Ælium Tuberonem, Panætii, quem Cicero principem Stoicorum vocat, auditorem fuiſſe, teſtis eſt Pomponius. (*l*) Marcianus autem, dum utitur auctoritate Chryſippi, eum laudat, ut ſummæ Stoicæ Sapientiæ Philoſophum. (*m*) Calliſtratus citat ſummæ apud Græcos prudentiæ & auctoritatis Platonem, Sectæ Academicæ conditorem, (*n*) Salvius Julianus Ariſtotelem, (*o*) Alphenus Varus omnes in univerſum ſine nomine Philoſophos, incertum Epicureos, an, quod eſt ſimilius vero, Stoicos, (*p*) verbis

(*i*) *v. Ciceron. de Oratore lib.* 1. *cap.* 43. (*k*) *V. l.* 1. *§.* 1. *ff. de Juſt. & Jure.* (*l*) *l.* 2. *§.* 40. *De Or. Jur.* (*m*) *l.* 2. *ff. de Legib.* (*n*) *l. ult. ff. de Nundin.* (*o*) *l.* 36. *ff. de Solutionib.* (*p*) *l.* 76. *ff. de Jud.*

bis eorum non aliter utentes, quam teſtimoniis omni exceptione majoribus.

Vt taceam, multos ex juris noſtri Conditoribus vixiſſe non modo ſub Imperio, ſed & in Comitatu atque Aula Antonini Pii & Marci Aurelii Antonini, quem Papinianus Principem providentiſſimum, & juris religioſiſſimum, (*q*) Juſtinianus autem prudentiſſimum, Philoſophiæ plenum & Philoſophiſſimum vocat. (*r*) Ab horum latere ut nunquam diſcedebant, niſi illorum conſuetudine & ſapientia doctiores ac meliores facti, ita iisdem virtutis præceptis imbuebant optimos quosque Principes, Antoninorum ſucceſſores, interque eos Alexandrum Severum, quem memoriæ proditum eſt, non modo Ciceronis de Republica & de Officiis libros perpetuo lectitaſſe, ſed & Fabii Sabini, qui Cato ſui temporis dictus eſt, nec non Vlpiani, Pauli, aliorumque ejus ætatis JCtorum, conſilio atque auxilio, ex bono Principe factum eſſe meliorem.

Quæ ſi vera ſint, ut certe ſunt, admodum eſt credibile, licet maxime aliunde non conſtaret, JCtos noſtros fuiſſe viros bonos, & integros vitæ, ſceleriſque puros.

Sed

(*q*) *l. 67. §. ult. ff. de Legat. 2.* (*r*) *l. ult. C. de Repud. l. 11. C. de His, quib. ut indign. Nov. 22. c. 19.*

Sed rogabitis fortaſſe, A. H. ſi noſtri, quorum cauſam agimus, Civilis Sapientiæ magiſtri fuerint tam rigidi & ſeveri cultores Philoſophiæ Moralis, ab eaque hauriendam putaverint juris diſciplinam, quid tantem in cauſa fuerit, quod paſſim Philoſophos, nunc palam & aperte, nunc clam, & oblique carpant, rideant, & ludibrio exponant; Vnde colligi poſſe videtur, eos vel ab omni Philoſophia fuiſſe alienos, vel ingratos diſcipulos, qui præceptores ſuos, quos Majores ſancti voluere parentis eſſe loco, parum reverenter habeant. Verum eſt, quis enim poteſt negare? Papinianum, Vlpianum, Modeſtinum, aliosque JCtos, Philoſophis nunc exprobrare ſimulatam ſapientiam, (*s*) nunc affectationem exactæ gravitatis & conſtantiæ, (*t*) nunc jactationem in acceleranda ſibi, & conſciſcenda morte voluntaria, (*u*) nunc avaritiam, quando ajunt, eos, qui avare de re familiari contendunt, inde fieri manifeſte non philoſophantes, nam vere philoſophantes pecuniam contemnere, cujus retinendæ cupidine eos fictam adſeverationem detegere affirmant, utpote quos primum profiteri oporteat,

(*s*) *L.* 1. §. 1. *ff. de Juſt. & Jure.* (*t*) *l.* 18. *ff. de Ædil. Ed.* (*u*) *l.* 6. §. 7. *ff. de Injuſto rupt. teſt.*

Digitized by Google

teat, mercenariam operam ſpernere, (*x*) & ſi quæ forte ſunt id genus alia in Philoſophos jacta convicia.

Quis autem non videt, hæc dicta eſſe non in veros ſapientiæ, & ingenuos magiſtros, quos Philoſophos Morales vocamus, verum in eos, qui, omnibus animi vitiis contaminati, Philoſophiæ ſtudium habitu corporis præ ſe ferebant, eamque promiſſa barba, ſupercilio, pallio attrito, pera, baculo, & verborum argutiis metiebantur, atque oſtentabant, ut conceſſa veris Philoſophis, qui tanti menſuram nominis implebant, a muneribus perſonalibus & patrimonialibus immunitate & vacatione uterentur fruerentur. Hos fictos, ſimulatos, & degeneris animi Philoſophos inſectantur & contemnunt JCti noſtri, hos, tanquam

Ignavum, fucos, pecus a præſepibus arcent

Legiſlatores & Principes Romani, quando reſcribunt, magiſtros ſtudiorum, doctoresque excellere oportere moribus primum, deinde facundia & eruditione. (*y*) Reddendos eſſe Patriæ ſuæ, qui habitum Philoſophiæ indebite & inſolenter uſurpare cognoſcuntur, &

 re-

(*x*) *v. l. 6. §. 7. ff. de Excuſ. tutor l. 8. §. 4. ff. de Vacat. & Excuſ. muner. l. 1. §. 4. ff. de Extraord. cognit.* (*y*) *L. 7. C. de Profeſſorib. & Medic.*

Digitized by Google

repente ac temere ad hanc profeſſionem proſiliunt; a probatiſſimis autem approbatos, & optimorum conſpirante conſenſu in ordinem admiſſos, ab hac colluvione ſecernendos; (z) Turpe eſſe Patriæ, functiones ferre non poſſe eos, qui etiam fortunæ vim ſe ferre jactant; profeſſionem & deſiderium eorum inter ſe diſcrepare, qui, cum Philoſophos ſe eſſe proponerent, vincebantur avaritia & rapacitate, & onera, quæ patrimonio ſuo injungebantur, ſoli recuſare conabantur. (a)

Quantum attinet ad Religionem JCtorum noſtrorum, non eſt ſilentio prætereundum, eos etiam hac in parte Stoicorum ſuorum exemplum ſecutos, quoties de Divina Majeſtate loquuntur, quod faciunt ſæpiſſime, ſemper meminiſſe unius Dei, nunquam autem Deorum. Qua in re nemo negaverit, eos majore laude dignos eſſe, quam non modo Poëtas, quibus, pariter ut Pictoribus,

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas,

ſed & quam Oratores quosdam Chriſtianos, alios-

(z) *d. l. 7. & l. 8. C. de Profeſſorib. & Medic.*
(a) *d. l. 7. & l. 6. C. de Muneribus. Patrimon.*

aliosque, etiam in Ordinem Clericorum, & Cardinalium, quos vocant, relatos Scriptores, qui Theologi vocari volunt; Quos, ne videantur parum priſco ritu loqui, non pudet paſſim memorare Deos Deasque immortales, quorum Jovis, Neptuni, Phœbi, Martis, Nympharum, Nereidum, Hamadryadum plena ſunt omnia; quibus Virgo Mater dicitur

Spes fida hominum, ſpes fida Deorum;

Qui ipſi Pontifici Romano publice audent commendare, *ut fidat Diis immortalibus, quorum vicem in terris gerit;* Denique qui pro, *peccata homini moriturο remittere*, tanquam locutione minus latina & Ciceroniana, malunt dicere & ſcribere, *Deos Superos, Maneſque illi placare.* (*b*) Qua affectata, frigida, intempeſtiva, ne dicam impia Veterum imitatione, nihil eſt ineptius, nihil illis, qui Chriſtiani audire volunt, indignius.

Non ignoro, eſſe Viros eruditos, qui exiſtimant, Dei nomen, cujus crebra in Veterum JCtorum Reſponſis fit mentio, ex mente & intentione eorum ad Jovem, aliosque complures Deos ſemper eſſe referen-

Z 2 dum;

(*b*) *V. Eraſmi Ciceronianum, pag. 89. & ſeq. Lipſii Epiſtol. Miſcellan. Centur. 2. Epiſt. 57.*

dum; Sed Tribonianum, pro conceſſa ſibi illorum monumenta interpolandi, & ad conſuetudinem ac Religionem ſuæ ætatis accommodandi licentia, ſublato Gentili, & Chriſtianæ fidei contrario Jovis, Deorumque vocabulo, ubique repoſuiſſe nomen Dei. (*c*)

Sed hanc conjecturam quo minus probem, facit tum, quod eadem de Deo; nunquam autem de Diis, loquendi ratio etiam obſervata ſit in Fragmentis antiquæ juriſprudentiæ, quæ hodieque ſuperſunt extra Corpus Juris Juſtinianei, in quæ Tribonianus nihil tale tentare potuit; tum quod, ſi JCtorum Reſponſa hac in parte a Triboniano eſſent interpolata, credibile ſit, eum vel in uno aut altero Reſponſo, memoriæ vitio, relicturum fuiſſe nomen Deorum, ut factum eſt in aliis locis, quorum nonnulla inflexit ad jus novum, expunctis verbis ipſorum Auctorum, ad jus vetus pertinentibus, & inſertis aliis, ex jure poſteriorum temporum petitis, alia autem ejuſdem prorſus ſententiæ iisdem verbis concepta loca reliquit intacta, quo nomine ſæpe ipſi exprobratum eſt vulgatum illud, *mendacem oportere eſſe memorem.* (*d*)

Quod

(*c*) *V. Wiſſenbachii Emblemata Triboniani ad l. 2. ff. de Juſtit. & Jure.* (*d*) Exemplum v. in

Quod vero Vlpianus in Fragmentis (e) mentionem faciat de pluribus Diis, interque eos de Jove Tarpeio, Apolline Didymæo, Minerva Militenſi, Diana Epheſia, Matre Deorum, aliisque fictis & vanis Numinibus, inde minime conſequitur, hanc Ethnicæ Superſtitionis, & vanæ credulitatis plenam locutionem huic ſanctiſſimo Juris Antiſtiti fuiſſe propriam ac familiarem, vel eum plures, quam unum, prout ſua ſibi privata ſuggerebat Religio, coluiſſe Deos; Sed animavertendum eſt, eum, cum pro ratione argumenti ſibi propoſiti doceret, non licere Deos heredes inſtituere, niſi quos SCto, vel Conſtitutionibus Principum inſtituere conceſſum erat, non potuiſſe non meminiſſe Deorum, quos ipſa ſibi finxerat, & publica auctoritate receperat Romanorum Superſtitio, qui, licet nimium eſſent faciles in tolerandis, etiam ineptiſſimis & ridiculis Religionibus, non tamen temere permittebant, ut liceret promiſcue, ſine delectu quoslibet Deos, eorumve Sacerdotes, & Sacrorum Miniſtros, heredes inſtituere.

Quid autem de Deo noſtro unico, in

Z 3 ſpiſ-

l. 15. §. 5. ff. ad SCtum Turpilian. junct. l. 7. ff. de Muner. & Honorib. Cujac. lib. 1. Obſerv. 8. Wiſſenbach. ad l. 13. C. de Judic. (e) *Tit. 22. §. 6.*

ſpiſſis & Cimmeriis illis Ignorantiæ & Superſtitionis Ethnicæ tenebris ſenſerint Vlpianus, aliique Romani JCti, difficile eſt affirmare, difficilius probare. Illud certum eſt, & extra omnem dubitationis aleam poſitum, multa in illorum Reſponſis occurrere & obvia eſſe ſancta, recta, honeſta, & a Regulis ac Præceptis Chriſtianæ Pietatis non modo non multum recedentia, ſed potius cum illis ad amuſſim conſentientia vitæ morumque præcepta; Sicut nihil illis ad explendos omnes perfectæ Pietatis & Probitatis numeros defuiſſe videatur, quam quod ipſis non licuerit eſſe tam beati, ut verum de Deo intellectum, & Chriſtianæ Religionis perſuaſionem animo perciperent.

Qualia ſunt aurea illa & homine Chriſtiano digniſſima dicta, *Iuris naturæ eſſe Religionem erga Deum, ut pareamus parentibus, quorum perſona liberis ſemper ſancta & honeſta videri debeat;* (e) *Omnibus parentibus, etſi inæqualis ſit eorum poteſtas, æquam & eandem deberi Pietatem & Reverentiam;* (f) *Cum inter nos cognationem quandam Natura*

(e) *L. 1. in f. & l. 2. ff. de Juſtit. & Jure; l. 9. ff. de obſequiis Parentibus & Patronis præſtandis.*

(f) *L. 4. ff. de Curatorib. Furioſo, & aliis, extra minores, dandis.*

Digitized by Google

ra conſtituerit, & , ad Ius Naturæ quod attinet , omnes homines æquales ſint , hominem homini inſidiari nefas eſſe ; (g) Intereſſe hominis , beneficio adfici hominem , adeoque jus faſque eſſe, appellare pro damnato , qui ad ſupplicium ducitur , non modo ſi ille mandaverit , verum quisquis alius provocare voluerit, neque diſtinguendum eſſe , utrum neceſſarius ejus ſit , nec ne : Humanitatis enim ratione omnem provocantem audiri debere, licet ipſe damnatus reſiſtat adverſus provocationem, & ſententiæ adquieſcat, perire feſtinans , (h) Et ſic vel invito dandum beneficium , nec audiendam eſſe illud Poëtæ,

Invitum qui ſervat , idem facit occidenti. (i)

Arbitrum , Sacerdotio obveniente, non cogi ſententiam dicere ; Id enim non tantum honori perſonarum , ſed Majeſtati Dei indulgendum eſſe , cujus Sacris Sacerdotes vacare oportet. (l)

Hora me deficeret , Auditores , & Veſtra attentio , ſi omnia vellem in medium proferre Juriſconſultorum noſtrorum Æqui

(g) *l. 3. ff. de Juſt. & Jure. l. 32. de Reg. Jur.*
(h) *l. 7. ff. de ſervis exportand. l. 6. ff. de Appellat.* (i) *Horat. lib. 1. Epiſt. 20. v. 16. & de Arte Poët. v. 467.* (l) *l. 32. §. 4. ff. de Recept. arbitr.*

Bonique, Honeſti & Decori præcepta, expreſſam Chriſtianæ Pietatis imaginem præ ſe ferentia.

De Jurejurando autem, religioſa illa, & ſeria adſeveratione, facta Deo teſte, cum execratione noſtri, & imprecatione vindictæ Divinæ, ſi ſcientes fallamus, quid ſenſerint, vel unus, inſtar omnium, Vlpianus fidem fecerit; *Iurare*, inquit, *oportet, ut delatum eſt Iusjurandum; cæterum ſi ego detuli, ut per Deum jurares, tu per caput tuum juraſti, vel filiorum tuorum; non erit ratum Iusjurandum; Nam qui per ſalutem ſuam jurat, licet per Deum jurare videatur, reſpectu enim Divini Numinis ita jurat, attamen juraſſe non videtur, & ideo ex integro ſolenniter jurandum eſt.* (*m*) Quantopere vero improbaverint temerariam & impiam jurandi licentiam, non poteſt evidentius apparere, quam ex duobus ejuſdem JCti Reſponſis, quorum alterum in hæc verba eſt conceptum: *Si quis juraverit in re pecuniaria per genium Principis, dare ſe non oportere, & pejeraverit, Imperator noſter reſcripſit, fuſtibus eum caſtigatum dimittendum eſſe, & ita ei ſuperdicendum:* TEMERE

NE

(*m*) *L.* 3. §. *ult. l.* 4. & 5. *ff. de Jurejur.*

NE IVRATO. (*n*) Alterum non modo Romana gravitate ſed & Chriſtiana Pietate dignum Vlpiani Reſponſum, quo jurisjurandi conditionem de præſtatione alicujus facti, ultimis voluntatibus adjectam, refert inter turpes ac probroſas conditiones, adeoque pro non adjecta habendam, nec implendam cenſet, conſtat verbis omnem fidem ſuperantibus: *Quæ ſub conditione Iurisjurandi relinquuntur, a Prætore reprobantur: Providit enim, ne is, qui ſub Iurisjurandi conditione quid accepit, aut, omittendo conditionem, perderet hereditatem, legatumve, aut cogeretur, accipiendo conditionem turpiter jurare. Voluit ergo, eum, cui ſub Iurisjurandi conditione quid relictum eſt, ita capere, ut capiunt hi, quibus nulla talis Iurisjurandi conditio adjicitur; Et recte: Cum enim faciles ſint nonnulli homines ad jurandum, contemptu Religionis, alii perquam timidi, metu Divini Numinis, usque ad ſuperſtitionem, ne vel hi, vel illi, aut conſequerentur, aut perderent, quod relictum eſt, Prætor conſultiſſime intervenit.* (*o*)

(*n*) *l.* 13. §. *ult. ff. de Jurejur.* (*o*) *L.* 8. *ff. de Conditionib. Inſtitution.*

Digitized by Google

Veſtram fidem, Auditores, poteſtne quidquam gravius, verius, ſanctius, &, ſi hoc quoque addere licet, chriſtianius, ab ullo, non dicam homine Chriſtiano, ſed vera Theologo, prædicari?

Sed, uno complectar ut omnia verbo, & plurima ejusdem Pietatis alia in pauca conferam, audite generalem recte faciendi, & pie vivendi regulam, ab Æmilio Papiniano nobis relictam, dignam profecto, quæ omnium mortalium memoriæ, & cordibus infigatur: *Filius*, inquit, *qui fuit in poteſtate, ſub conditione ſcriptus heres, quam Senatus, aut Princeps improbant, teſtamentum infirmet Patris, ac ſi conditio non eſſet in ejus poteſtate: Nam quæ facta lædunt Pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, &, ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt.* (p)

Scilicet impoſſibilia Noſtris dicuntur, quæ non niſi cum dedecore poſſumus, quæque ſalva conſcientia, fama, & exiſtimatione, non poſſumus; Paria illis ſunt, & eodem iure cenſentur turpe & impoſſibile in noſtra poteſtate non eſſe, & injuſtum, adeoque eum, qui daturum ſe, facturumve aliquid promiſit, non teneri

(p) *L. 15. ff. de Conditionib. Inſtitut.*

teneri putant, niſi cum id ſine turpitudine dare facere poteſt. (q)

Eadem Pietatis ratione ſemper ſollicite & diligenter diſtinguunt inter id, quod ſummo Jure, utpote quod ſumma aliquando injuria eſt, licet, & id, quod decet, atque honeſtum eſt, non ſolum, quid extra pœnam legis poſitum conſiderantes, ſed & quid decorum ſit; (r) In contrahendis nuptiis naturale Jus & pudorem inſpiciendum eſſe monent, & certius ac modeſtius eſſe, in re dubia abſtinere a conjunctionibus, quibus ſi non Legis auctoritas, at publicæ honeſtatis, & pudoris, ac verecundiæ naturalis ratio refragari videtur; (s) Sic ut latius apud illos pateat officiorum quam Juris Regula, qui vita, moribus, & ſcriptis ſuis expreſſerunt & confirmarunt id, quod ait Seneca: *Quis iſte eſt, qui ſe profitetur omnibus legibus innocentem? Ut hoc ita ſit, quam anguſta eſt innocentia, ad legem bonum eſſe? Quam multa Pietas, Humanitas, Liberalitas, Iuſtitia, Fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas ſunt?* (t)

Sed nequis exiſtimet, Papinianum, aliosque Romanos JCtos fuiſſe homines Philoſophia

(q) *l. 79. ff. de Jure Dot.* (r) *l. 144. ff. de Reg. Jur.* (s) *L. 14. §. 2. & 3. ff. de Ritu Nuptiar. l. 197. de Reg. Jur.* (t) *Senec. lib. 2. de Ira c. 27.*

Digitized by Google

phia ſententia, at ignava opera, magnificos verbis, vacuos rerum, ut ſolent, quibus *probitas laudatur & alget*, ille ipſe, quem dixi, Papinianus, ut hujus unius exemplum vobis ob oculos ponam, ille *Pietatis idoneus auctor*, &

Virtutis verae cuſtos, rigiduſque ſatelles,

ſuam illam vitæ morumque regulam ſanguine ſuo confirmavit, atque obſignavit; Sit ut de illo veriſſime affirmari poſſit, quod de Scipione Æmiliano ait Vellejus Paterculus, (u) *Nihil eum in vita niſi laudandum aut ſenſiſſe, aut dixiſſe, aut feciſſe*.

Nemini veſtrum, Auditores Ornatiſſimi, ignotum eſſe credo, Imperatorem Caracallam, cum magna laboraret invidia, quod fratrem ſuum & Regni Socium Getam, nil tale merentem, horrendo & immani parricidio de medio ſuſtuliſſet, a Papiniano, tunc Præfecto Prætorio, nec juſſu & imperio, nec precibus, nec pretio, nec additis regaliter minis, impetrare potuiſſe, ut hoc flagitium apud Senatum, Populum & Militem doctis & quæſitis coloribus defendendum atque excuſandum ſuſciperet, & Getam a Caracalla jure cæſum videri, probaret, ac vel latum unguem a regia Juſtitiæ & Pietatis via recederet:

(u) *lib.* 1. *Hiſtor. Rom. c.* 12.

deret: Maluit enim Vir immortalitate digniſſimus cervicem ſecuri & indignæ morti, quam linguam & dextram patrocinio ſceleris præbere, ſine ulla cunctatione & deliberatione reſpondens, non tam facile velari & excuſari poſſe parricidium, quam fieri, & accuſare innocentem occiſum, alterum ſibi videri parricidium. (x) Sic decebat *Juſtum, & tenacem propoſiti virum, quem nec civium ardor prava jubentium, nec vultus inſtantis tyranni mente quatit ſolidâ.* (y) Hoc demum eſt, rebus ipſis & factis probare & exprimere illud:

- - - Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et, propter vitam, vivendi perdere cauſas, (z)

Probitatem videlicet, & vitæ morumque integritatem. Macte iſta, o Papiniane, Pietate ac Religione tua, & plus quam Stoica ac Romana conſtantia!

Judicate nunc, Auditores Ornatiſſimi, an a JCtis

(x) *Æl. Spartian. in Alex. Severo c.* 21. *in Anton. Carac. c.* 4. & 8. *in Geta c.* 6. *Aurel. Victor Hiſtor. Rom. Breviar. parte* 2. *c.* 20. (y) *Horat. lib.* 3. *Carm. Ode* 3. (z) *Juvenal. Sat.* 8. *v.* 81. & *ſeqq.*

a JCtis Romanis, licet Ethnicis, qui ita locuti ſunt, ita ſcripſerunt, ita fato ſuo functi ſunt, aliquid periculi metuendum ſit Pietati & Religioni hominum Christianorum, qui illorum reſponſis vel in docenda, vel in diſcenda, vel in adminiſtranda atque exercenda Juſtitia & Jurisprudentia utuntur. Ego quidem de illis in univerſum omnibus affirmare non vereor, quod de Tito Ariſtone, ſui temporis JCto, ſcripſit Plinius, (a) *Nihil eſſe illis gravius, ſanctius, doctius. - - - Quam periti illi & privati Iuris, & publici? Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenent? Nihil eſt, quod diſcere velis, quod illi docere non poſſint. - - - Ornat hæc magnitudo animi, quæ nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam refert, recteque facti non ex populi ſermone mercedem, ſed ex facto petunt. In ſumma, non facile quis quenquam ex iſtis, qui ſapientiæ ſtudium habitu corporis præferunt, his Viris comparaverit. Non quidem gymnaſia ſectabantur aut porticus, nec diſputationibus longis aliorum otium ſuumque delectabant, ſed in toga negotiisque verſabantur, multos advocatione, plures conſilio juvabant. Nemini* ta-

(a) *v. Plin. lib. 1. Epiſt. 22.*

tamen Philoſophorum caſtitate, pietate, iuſtitia, fortitudine cedebant.

Taceo, non deeſſe Viros eruditos, & quævis præclara de Jurisprudentia noſtra meritos, qui ſerio & bona fide exiſtimant, quosdam JCtorum noſtrorum, ejurata vana Gentilium ſuperſtitione, Chriſto nomen dediſſe, ut Hermogenianum, Arcadium Chariſium, Licinium Rufinum, qui creditur eſſe auctor *Collationis Legum Moſaicarum & Romanarum*, & Tertullianum, quem eundem eſſe volunt cum Quinto Septimio Florente Tertulliano, Patre Eccleſiaſtico, quemque, deſertis caſtris togatæ militiæ, ſe totum dediſſe ſacro veræ fidei, & ſalutiferæ Religionis ſtudio, contendunt. (*b*)

Quod ut, tanquam non ſatis liquido probatum, & ab aliis in dubium vocatum, nunc in medio relinquam, illud certum eſt, & extra omnem controverſiæ aleam poſitum, conjunctam olim ſemper fuiſſe in JCtis noſtris Divini & Humani Juris ſcientiam, eosque alteram Juris Ciuilis ſpeciem non modo in

(*b*) *V. Bertrand. & Guil. Grot. de Vitis JCtorum. Cujac. lib. 7. Obſerv. c. 2. Franc. Hotomanni Anti-Tribon. c. 12. Menagii Amenitat. Jur. Civ. c. 7. 11. & 12.*

Digitized by Google

in Magiſtratibus, ſed & in Sacris ac Sacerdotibus collocaſſe. (c)

Sic Scævola narratur bene ac diu Jura civium & cæremonias ordinaſſe? Attejus Capito, quem Juris Sacri inter primos peritum fuiſſe, tradit Macrobius, ut & æqualis ejus atque æmulus Antiſtius Labeo, complures de Jure Pontificio libros reliquerunt; Trebatius ſcripſit de Religionibus, alii de aliis ad res Sacras & Divinas pertinentibus, utpote non modo juſti atque æqui ſcientiam, ſed & divinarum rerum notitiam profeſſi.

Hinc Cicero, longe diverſus ab illorum opinione, qui putant, rerum divinarum cognitionem nihil commune habere cum Jurisprudentia, ut in JCtis requirit ſcientiam Juris Sacri & Pontificii, ſic Juris Civilis notitiam Pontificibus neceſſariam fuiſſe, & bonum Pontificem eſſe potuiſſe neminem, niſi qui Jus Civile cognoviſſet, teſtatur. (d)

Hinc utriusque, Divini & Humani, Juris cuſtodia diu penes Collegium Pontificum fuit, quos univerſi Juris interpretes, arbitros, ac diſpenſatores fuiſſe, Pomponius noſter aliique

(c) *V. l.* 1. §. 2. *l.* 10. §. 2. *ff. de Juſtit. & Jure & ibi Gothofr.* (d) *Cic. lib.* 3. *de Orat. c.* 33. *in Bruto c.* 42. *lib.* 2. *de Legib. c.* 19.

Digitized by Google

aliique non leves auctores tradiderunt, (*e*) adeoque, quia ut Jus Publicum erat pars Juris Civilis, ita Jus Sacrum erat pars Juris Publici, & Pontifices Juris Civilis, & JCtos rerum ad Jus Sacrum ac Pontificium pertinentium ſcientia non modo leviter tinctos, ſed penitus imbutos eſſe oportebat.

Ex quibus omnibus apparet, JCtos noſtros cultus Divini, & Religionis erga Deum, falſæ illius quidem, & cum denſis ignorantiæ tenebris conjunctæ, ſed tamen Religionis, ſemper fuiſſe ſtudioſiſſimos; Ne dicam eos aliquando rectius & verius, quod pudendum eſt, in illa obſcure Paganicæ ſuperſtitionis nocte, de rebus Divinis & ſacris, ad Religionem pertinentibus, cogitaſſe & ſcripſiſſe, quam quoſdam Imperatores, qui myſteriis Religionis Chriſtianæ initiati fuerunt.

Exemplo ſit magnus ille Conſtantinus, qui, licet veneranda Chriſtianorum fide Romanum dicatur muniviſſe Imperium, (*f*) non erubuit, lata lege ſancire, *Eorum quidem ſcientiam eſſe puniendam, & ſeveriſſimis merito legibus vindicandam, qui, magicis*

(*e*) *V. l. 2. §. 6. ff. de Orig. Jur.* (*f*) *l. 5. C. de Naturalib. liber.*

accincti artibus, aut contra ſalutem hominum aliquid moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe detegentur. Nullis vero criminationibus implicanda eſſe remedia humanis quæſita corporibus, aut in agreſtibus locis innocenter adhibita ſuffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis, grandinisque lapidatione quaterentur, quibus non cujusquam ſalus aut æſtimatio læderetur, ſed quorum proficerent actus, ne divina munera, & labores hominum ſternerentur. (g)

In quo, plus vice ſimplici, peccavit, hac ſaltem in parte parum Chriſtianus Princeps, tum quod, cum imperito vulgo, his incantationibus & ſuſurris magicis ſe credulum præbuerit, quaſi illis & fruges excantari, & noxiæ frugibus tempeſtates averruncari, & febres aliique morbi averti ab humanis corporibus & propulſari poſſint, tum, quod mala & magica carmina, bonum in finem adhibita, permiſerit. Quid eſt, Auditores, ipſum cœlum petere ſtultitia, quid eſt

Flectere ſi nequeas Superos, Acheronta movere,

ſi hoc non eſt? Quan-

(g) *L.4.C. de Maleſic. & Mathemat. Ant. Matth. de Criminibus lib.48. Digeſtor. Tit.5.c.5. num.7.*

Quanto rectius & verius Ulpianus noſter nefarias Aſtrologorum, Maleficorum, Mathematicorum artes & divinationes damnat, quanto ſaniore ratione negat, Medicorum nomine honorandos eſſe eos, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris ſanitatem pollicentur, ſi incantaverint, ſi imprecati ſint; Non eſſe iſta Medicinæ genera exiſtimans, tametſi ſuo tempore non defuiſſe narrat, qui hos ſibi profuiſſe, cum prædicatione adfirmaverint. (*b*)

Noverat ſcilicet maximus JCtus, nec minor Philoſophus, Legibus antiquis Duodecim Tabularum caveri, ne quis ſub pœna capitis fructus alienos, alienamve ſegetem incantamentis in alias terras transferat & pelliciat; noverat rudem adhuc antiquitatem crediſſe, & attrahi imbres cantibus, & repelli poſſe, ſed duce & magiſtra ratione didicerat; *horum nihil fieri poſſe, tam palam eſſe, ut*, quod Seneca ait, *hujus rei cauſa nullius Philoſophi Schola intranda ſit.* (*i*)

Quod ſi ex illis, quæ hactenus diſputavimus, & quæ, niſi anguſtia temporis circum-

(*b*) *L. 15. §. 13. ff. de Injur. l. 1. §. 3. ff. de Extraord. cognit.* (*i*) *Senec. lib. 4. Natural. Queſtion. c. 7.*

Digitized by Google

ſcriberemur, addi poſſent, pluribus aliis, abunde conſtet, JCtos noſtros bonos fuiſſe Philoſophos morales, meliores autem, ut ſuæ Religionis, & illorum temporum ratio ferebat, Theologos, facile, vel me tacente, intelligitis, Auditores, eos non potuiſſe non fuiſſe optimos patriæ ſuæ cives; Ut vel inde apparet, quod non modo, tanquam prima Juris Naturæ principia commendent religionem erga Deum, & pietatem ac reverentiam erga parentes, ſed & *ut patriæ pareamus, in ejusque utilitatem*, libera & prompta ac parata voluntate, *tribuamus facultates & fortunas noſtras*; *Turpe eſſe, tributa*, vectigalia, functiones *ferre nolle*, *in illis enim Rei-publicæ nervos eſſe poſitos*; *Neque quietem Gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſe*; Nec privatis tantum, ſed & patriæ & Principi ſuum eſſe tribuendum, nec cuiquam mortalium Jus ſuum detrahendum. (*l*) Quod, quæſo quid aliud eſt, quam quod ipſe nos docet Deus, Optimus auctor

(*l*) *L.1. §.ult. l.2. l. 3. ff. de Juſtit. & Jure. l. 6. §.7. ff. de Excuſat. Tutor. l. 8. §. 4. ff. de Vacat. & Excuſ. muner. l.1. §.20. ff. de Quæſtionib. Tacit. lib. 4. Hiſtoriar. c 74.*

auctor Naturæ Verique, Deo tribuendum eſſe, quod eſt Dei, Cæſari, quod eſt Cæſaris, proximo, quod eſt proximi, ſibi quod eſt ſuum? *Vt eos, qui pro Re-publica ceciderunt*, pro qua nemo bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus, *in perpetuum per gloriam vivere exiſtimabant*, (m) ita minime lugendum putaverunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes ac liberos interficiendos venerit; Quem ſi filius patrem, aut pater filium occidiſſet ſine ſcelere, etiam præmio adficiendum putabant, (n) perſuaſum habentes cum M. Tullio Cicerone, charos eſſe debere parentes, charos liberos, propinquos, familiares, ſed omnes omnium charitates patriam unam complexam eſſe, cui debemus nos, noſtraque omnia;

Filiumfamilias transfugam non poſſe poſtliminio reverti, ne quidem vivo patre: quia pater ſic illum amiſit, quemadmodum patria, & quia diſciplina caſtrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorum; (o)

(m) *Princ. Inſt. de Excuſ. tut.* (n) *L. 35. ff. de Religioſ. Cic. de Offic. lib. 1. c, 17. & lib. 3. c. 23.* (o) *l. 19. §. 7. ff. de Captiv. & Poſtlim. Reverſ.*

Filium non tantum patri, verum etiam Reipublicæ naſci; (*p*) Adeoque patrem, non conſentientem honoribus ſive muneribus filii, ne patrimonium ſuum oneri ſubjiciatur, non poſſe civem patriæ utilitatibus auferre, nec Jure patriæ poteſtatis reſiſtere, quo minus patriæ obſequatur; (*q*)

Non eſſe differendum ſupplicium damnatorum, qui dicunt ſe habere, quod Principi referant, ſalutis ipſius cauſa, ſed magis eſſe puniendos, qui tam diu conticuerunt, quod pro ſalute Principis habere ſe dicere, jactant, nec enim debuiſſe tam magnam rem tam diu reticere; (*r*)

Non poſſe dolo carere eum, qui imperio Magiſtratuum non paruit, (*s*) adeoque contumaciam adverſus juſſa eorum, & delictum deſerti ac contempti imperii nullo colore vel prætextu velari aut excuſari poſſe: illis enim vim poteſtatemque jubendi, civibus autem & ſubditis obſequii gloriam relictam eſſe.

Hæc

(*p*) *l. 1. §. 15. ff. de Ventre in poſſeſſ. mittendo.* (*q*) *l. 3. §. 5. l. 14. §. 4. ff. de Munerib. & Honorib.* (*r*) *l. 6. ff. de Pœnis.* (*s*) *l. 167. §. 1. l. 199. de Reg. Jur.*

Hæc aliaque innumera pietatis, religionis juſtitiæ, & publicæ privatæque vitæ, integre, modeſte, prudenter degendæ, hæc morum ad omnium virtutum normam formandorum præcepta,& de patria,patriæque patribus colendis monita,in libris ſuis tradita, tam religioſe ſecuti ſunt noſtri æqui bonique Conſulti,ut,quod vel in primis obſervari meretur, nulli eorum ab Hiſtoriæ Auguſtæ, quos vocant, aliisque Scriptoribus, ullum vel m nium animi vitium exprobretur, qui tamen ne ipſis quidem Cæſaribus Romanis, triumphati Orbis Dominis, parcere ſolent, ubi quid in eorum vita & moribus occurrit reprehenſione dignum, multo minus veniam daturi,aut gratiam facturi JCtis, illorum in Imperii gubernatione miniſtris & conſiliariis,ſi quid audiviſſent, vel compertum habuiſſent, quod aliquam meretetur non dico cenſoriam notam infamiæ & ignominiæ, ſed vel leviſſimæ notæ maculam; Quod tantopere abeſt à vero, ut eos paſſim ſummis laudibus in cœlum ferant, tanquam viros bonos, quibus *pudor, &, juſtitiæ ſoror, incorrupta fides, nudaque veritas nullos inveniebant pares* (*t*) quique

(*t*) *Horat. lib. 1. Carm. Ode 24.*

que, cum vitæ & morum ſanctitate didiciſſent:

Nil conſcire ſibi, nulla pallescere culpa, (*u*)

non alia de cauſa à nefariis, & ab omni pietate ac religione alienis hominibus aliquando male fuerunt habiti, quam quod iniquis eorum conatibus obviam irent: Quos inter Ulpianus, ſummo ſuo merito ad dignitatem Præfecti Prætorio evectus, cum, præceptoris ſui & deceſſoris, Papiniani veſtigia premens, diriſſimis temporibus omnia inermi juſtitia tractanda putaret, à militibus Prætorianis indigniſſima morte oppreſſus eſt, poſteaquam eum Alagabalus, teſte Lampridio, *removiſſet, ut virum bonum*, deinde autem Alexander Severus, objectu purpuræ, aliquoties ab eorum ira, furore & impetu defendiſſet, quem Principem ideo ſummum Imperatorem fuiſſe, quod Ulpiani potiſſimum conſiliis Rem-publicam rexerit, item tradit Lampridius. (*x*)

Super-

(*u*) *Horat. lib. 1. Epiſt. 1. v. 61.* (*x*) *Lamprid. in Alagab. c. 16. in Alex. Severo c. 51.*

Digitized by Google

Supereſt, ut illis reſpondeamus iniquis cenſoribus, qui negant, vel Jurisprudentiam docendam aut diſcendam, vel lites dedicendas eſſe ex Principum & JCtorum ethnicorum Reſcriptis ac Reſponſis, quaſi vero Paulus Apoſtolus, dum prohibet, ne Corinthii ſui coram judicibus infidelibus litigent, etiam interdicat, ne controverſiæ decidantur, & ambigui Juris nodi atque ænigmata ſolvantur ex legibus paganorum. Quis autem non videt, Apoſtolum non prohibere, ne Chriſtiani lites ſuas diſceptandas & decidendas committant legitimis & competentibus Judicibus ac Magiſtratibus, licet a perſuaſione fidei Chriſtianæ alienis, ſed commendare pacem & concordiam, ac ſuadere, ut lites potius amica transactione componantur, quam ut partes adverſæ ac diſſidentes dubiam & incertam Judiciorum aleam experiantur? Quod non minus ſerio, quam ipſe ille Gentilium Doctor, monent Juris noſtri conditores. Sic ut vere dixerit Juſtinianus, magnam ſemper curam egiſſe eos, qui Jura ſuſtinebant, ne homines temere ad litigandum procederent (y) nec factum ac moderationem

(y) *Princ. Inſtit. de Pœna temere litigant.*

eorum improbaverunt, qui tanti habebant rebus ſuis carere, & aliquid de Jure ſuo remittere, ne propter eas ſæpius litigarent: Hanc enim verecundam cogitationem eorum qui lites exſecrantur, non modo non vituperandam, ſed potius laudandam eſſe, exiſtimabant. (z)

Cum autem Romani in ſuo illo virtutis & humanitatis domicilio nos rem militarem, politicam, eloquentiam, aliasque artes docuerint, cum illorum leges ex Jure Naturæ, ex fonte rectæ rationis, atque ipſis, quod plus eſt, Juribus Divinis, magnam partem originem trahant, cum de expetendis bonis, fugiendisque malis rebus rectas & honeſtas animis civium inſerant opiniones, quid tandem cauſæ prætexi poteſt, quo minus utamur, quod hactenus feliciter, bono publico, facimus, Legibus Romanis, & Romanorum JCtorum, licet ethnicorum, Reſponſis ad dirimendas ac terminandas civium inter ſe lites & controverſias? Maxime cum Reſponſa, Reſcripta, Edicta JCtorum & Imperatorum non modo Chriſtianorum, ſed & ethnicorum

(z) *L. 4. §. 1. ff. de Alienat. judic. mut. cauſa.*

Digitized by Google

rum, ſua fecerit Juſtinianus, Corpus autem Juris Juſtinianei pro ſuo adoptaverint omnes fere Principes, & Rerum publicarum Rectores ac Moderatores. Sic ut Jus Romanum non magis ab illis, quam ab his profectum & ſancitum; atque in uſum deductum videri debeat, adeoque non minus noſtrum, quatenus nulla hodiernarum Legum illi eſt contraria, quam Romanum vocari mereatur.

Quod autem de odio veterum JCtorum in Chriſtianos, eorumque, illis auctoribus & ſuaſoribus, inſtituta ab Imperatoribus Romanis perſecutione, diſſeminari ſolet, ſi maxime verum eſſet, nihil detraheret præſtantiæ & utilitati Jurisprudentiæ Romanæ, nec impedire poſſet aut deberet, quo minus vim poteſtatemque, & imperium atque auctoritatem ſuam, tum in Academiis, tum in tribunalibus ſartam tectam ſervare deberet: Quænam enim & quanta eſſet iniquitas, cultum veræ religionis, & amorem nominis Chriſtiani deſiderere in illis hominibus, quibus in illa ſuperſtitionis caligine nihil præter lumen Religionis Chriſtianæ, & veri de vero Deo ſenſus defuit?

Sed

Digitized by Google

Sed parum abeſt, quin hæc fabula ex ipſis Juris noſtri & Hiſtoriarum monumentis refelli ac ſubverti poſſit, & proxime ad calumniandi libidinem accedat, vagis & incertis de tantorum virorum in Chriſtianos odio conjecturis & ſuſpicionibus indulgere: Nam, ut taceam, nullam in toto Juris Romani Corpore, qua late patet, exſtare Conſtitutionem Imperatorum, nullum vel unius JCti de pœnis & perſecutione Chriſtianorum Reſponſum, & dudum explosam eſſe a viris eruditis ac confutatam illorum opinionem, qui vana crudelitate perſuaſum habent, Ulpianum noſtrum totis ſeptem libris de Officio Proconſulis collegiſſe nefaria, de Chriſtianorum perſecutione Principum Reſcripta; (*a*) Nonne idem Ulpianus auctor eſt, (*b*) Verum & Antoninum Imperatores permiſiſſe, ut illi, qui Judaicam ſuperſtitionem ſequebantur, honores adipiſci poſſent, eisque

mune-

(*a*) *V. Bertrand. & Gulielm. Grot. in Vita Ulpiani. Wiſſemb. Emblemata Tribon. ad l. 1. de Juſtit. & Jure. Clariſſ. Schultingio Notas ad Jurisprud. Veter. Anti-Juſtin. pag. 557. & 784.* (*b*) *l. 3. §. ult. ff. de Decurionibus.*

munera impoſuiſſe, ſed talia, *quæ ſuperſtitionem eorum non læderent*? Nonne Herennius Modeſtinus (*c*) teſtatur, Judæos etiam non Judæorum tutores eſſe poſſe, ſicut & reliqua munera adminiſtrare: *Conſtitutiones enim Principum in iis ſolis ſine moleſtia eos eſſe jubere, per quæ cultus eorum inquinari videtur.*

Quæ verba Ulpiani & Modeſtini aut tam de Chriſtianis quàm de Judæis, aut de ſolis Chriſtianis intelligenda eſſe, vel ex eo conſtat, quod ut JCti Romani, ita alii Scriptores gentiles, ut Tacitus, Suetonius, Plinius, ſæpe Judæos dixerint pro Chriſtianis, ob cognationem atque affinitatem utriusque religionis, & quia nomen Chriſtianæ Religionis originem trahit ex Judæa.

Nec credibile eſt aut veriſimile, Ulpianum tam infeſto in Chriſtianos animo fuiſſe, quibus Imperatorem Alexandrum Severum, qui eum *parentem & amicum ſuum* vocat, (*d*) favere, non poterat ignorare:

(*c*) *l. 15. §. 6. ff. de Excuſat Tutor.* (*d*) *L. 4. Cod. de Locato Conducto, l. 4. C. de Contrah. & Committenda Stipulat.*

re: Is enim non modo non fuit Chriſtiani nominis inſectator & perſecutor, ſed ſi credendum eſt Lampridio, aliiſque fide dignis Hiſtoricis, Chriſto templum dedicare voluit; eumque inter Deos recipere; Imo Chriſtum & Abrahamum in larario ſuo in inter Deos habuit, ac coluit, & Chriſtianos eſſe paſſus eſt, neque Urbe Roma expulit. Sed & cum Chriſtiani locum quendam, qui publicus fuerat, occupaſſent, & popinarii eum ſibi deberi contendiſſent, reſcripſiſſe fertur: *Melius eſſe, ut quomodocunque illic Deus colatur, quam ut popinariis dedatur,* (e) *& ſæpius clamaſſe, quod a quibusdam, ſive Judæis ſive Chriſtianis, audierat & tenebat, ac per præconem, quum aliquem emendaret, dici juſſiſſe,* QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS; *eamque ſententiam uſque adeo dilexiſſe, ut & in Palatio & in publicis Operibus præſcribi juberet.* (*f*) Denique, Tertulliano teſte, Clariſſimas Feminas & Clariſſimos Viros, ſciens eos hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit,

(e) *Lamprid. in Alex. Severo c. 29. 43. 49.*
(*f*) *Lamprid. in Alex. Severo c. 51.*

læſit, ſed & teſtimonio exornavit, & populo, contra eos furenti, palam reſtitit. (*g*)

Quæ cum vera ſint, & ab idoneis actoribus memoriæ prodita, quis nobis perſuadebit, vel Ulpianum (*h*) Chriſtianos odioſo & contumelioſo *Impoſtorum* vocabulo traduxiſſe, quando negat Medicorum nomine & honore cenſendos eſſe eos, *qui incantaverunt, qui, ut vulgari,* inquit, *Impoſtorum verbo utar, exorcizarunt*; Quaſi ipſi quoque Gentiles non habuerint ſuos exorciſtas, quorum impoſturas, fraudes, & fallacias notare & reprehendere potuerit Ulpianus; Vel Paulum ac Modeſtinum, eodem plus quam vatiniano odio motos, per homines rerum forenſium expertes, ſimplicitate gaudentes, & deſidiæ deditos intellexiſſe vel monachos, vel quoslibet Chriſtianos, eorumque perſecutionem & ſupplicia laudare atque approbare, quando eos, *qui novas, & uſu vel ratione incognitas religiones inducunt, quibus leves hominum animi moveantur, & ſuperſtitione Numi-*

(*g*) *v. Guilielm. Grot. de vitis JCtorum lib. 2. c. 10. pag. 179. & ſeq.* (*h*) *l. 1. §. 3. ff. de Extra. ord. Cognit. ubi v. Gothofr.*

Digitized by Google

Numinis terreantur, vel in inſulam deportandos, vel capite puniendos reſponderunt. (*i*) Quæ verba de Chriſtianis potius eorumque pœnis intelligenda eſſe, quam de aliis, neſcio quibus hominibus, inveteratam gentilium ſuperſtitionem minus probantibus, vel aliquid in ea, ad turbandam publicam quietem & tranquillitatem, ſeditioſe novare tentantibus, non debuerat a Viris eruditis temere & ſine ullo probabili argumento affirmari, nec mitiſſimi ingenii JCtis tam inſignis infamiæ & turpitudinis nota inuri, quaſi immortali odio proſecuti fuerint innoxios Chriſtianos, homines ſine fraude doloque.

Vos autem, Præſtantiſſimi ac Generoſiſſimi Juvenes, præſertim qui ætatis florem Reginæ artium, Juriſprudentiæ conſecraſtis, JCtos noſtros, quos a pietate & religione laudavimus, & contra iniquas obtrectatorum calumnias defendimus, tanquam perconſummata, & tantum non omnibus perfectionis numeris abſoluta recte ſentiendi & honeſte vivendi exemplaria, atque aurei ſecu-

(*i*) *L. 25. ff. de Probationib. l. 30. ff. de Pœnis. Paul. lib. 5. Receptar. Sentent. Tit. 21.*

ſeculi reliquias, natas melioribus annis, Vobis ad imitandum proponite.

Diſcite virtutem ex illis, rerumque laborem,
Fortunam ex aliis.

In horum vitas moresque, tanquam in ſpeculum, inſpicite, atque ex illis exemplum Vobis ſumite; Horum præclara ingenii monumenta nocturna vobis, ſi quid mihi creditis, diurnaque manu ſunt verſanda; Ex nullo fonte, ſi à Sacroſanctis Litteris receſſerimus, ſincerius, purius, & dulcius hauriri poſſunt æqui bonique, honeſti ac decori præcepta; Nuſquam rectius & verius docetur, *quid ſit pulchrum, quid turpe; quid utile, quid non.* In his, cuicumque tandem vitæ rationi Divina vos deſtinaverit Providentia, omnium virtutum documenta, in illuſtri poſita, intueri licebit; Inde Vobis, ſive in Foro inter ambigua cauſarum & litium fata ac diſcrimina verſandum erit, ſive ad Rei-publicæ gubernacula veſtra Vos virtus & eruditio admovebit, petere licebit, quod ſequi, inde fœdum incœpto, fœdum exitu, quod vitare poſſitis.

Sed, ne prolixiore ſermone in publica

commoda peccem, ad Vos, Nobiliſſimi atque Ampliſſimi Conſules & Senatores, Urbis & Academiæ Curatores, mea ſe convertit Oratio. Gratias Vobis, quantas animus concipere poteſt, maximas ago, quod dignitate hujus Muneris Academici, cujus in ſucceſſorem transferendi cauſa hanc Cathedram conſcendi, tertia jam vice me honorare & ornare volueritis. Ne Vos unquam pœnitere poſſit, quod hoc, aliaque beneficia, (ex quo ad docendam Jurisprudentiam, conditionibus minime contemnendis, me invitare, eaſque iterum iterumque augere, & amplificare placuit) cumulate in me contuleritis, omnes in id animi & corporis nervos intendere pergam, ut generoſos Juvenes, fidei & curæ meæ commiſſos, labore, ſtudio, diligentia mea, & exemplo atque inſtitutione excitem ad bonam mentem, capiendumque uberiorem ingenii cultum, ut ex bonis Academiæ, quantum quidem in me erit, efficiam optimos Patriæ cives, ut Juris & æqui, ita obſequii & reverentiæ, Magiſtratibus ſuis debitæ obſervantiſſimos.

Ut, quod nunc reſtat, agamus, ad Te accedo, Clariſſime ac Reverende Vir, Hieronyme,

nyme Alphene, Collega & Amice conjunctisſime, ut ex Senatus Urbani Conſulto, quod equidem lubens meritoque facio, Tibi tradam Faſces & Sceptra Academica; Sed ſine Jurisdictione, & Imperio, cujus vis & poteſtas eſt penes hos Nobilisſimos Viros, nobis, & auditoribus noſtris, ſolo parendi atque obediendi officio relicto; Sic ut provinciam capias minime duram & difficilem, ſed, ut cum aliquo honore & utilitate, ita nulla fere cum moleſtia conjunctam. Qua in re tantum abeſt, ut aliquid detractum ſit ordinis noſtri, & præfecturæ jam Tuæ dignitati, ut potius ſit, quod & nobis gratulemur, & Amplisſimis Viris gratias habeamus, quod nos hac auctoritate animadvertendi in petulantiæ Juvenilis commiſſa liberaverint, & immunes eſſe voluerint, eamque, tota quanta eſt, ſibi receperint ac reſervarint, qua tanta cum prudentia, juſtitia, & æquitate utuntur, ut Academiæ noſtræ cives, vel virtutis amore, vel formidine pœnæ, compoſitis & politis exacta frugalitatis lege moribus, nec mentis calorem obruant vino, nec ſtringant infeſta arma & tela minantia telis, nec rixis, pugnis, tumultibus, & inſanis ac incondi-

tis clamoribus & vociferationibus turbent tranquilla ſilentia noctis, nec cuiquam mortalium damnum injuria inferant, quo in aliis Academiis, in quibus Jurisdictio mandata eſt Collegio Profeſſorum, nihil eſt frequentius & magis quotidianum.

Denique qua dextra Te mitto in poſſeſſionem hujus Muneris, eadem tanquam fidei & amicitiæ pignore Tibi gratulor de inermi hac, & facili, atque expedita Regiminis Academici adminiſtratione, quam ut Deus Optimus Maximus, veræ eruditionis, religionis, & pietatis auctor, Tibi & nobis omnibus felicem, fauſtam, & fortunatam eſſe velit, utque hoc Humaniorum Litterarum & Bonæ Mentis ſacrarium ad Rei-publicæ & Eccleſiæ decus atque incrementum magis magisque augere & proſperare non deſinat, ea, qua decet, pietate & religione, precor atque obteſtor.

DIXI.

Q.D.B.V.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

DE

STOICA VETERVM ROMANORVM JVRISPRVDENTIA.

AD

AVDITORES SVOS

DISSERIT

JOH. SAMVEL HERING,

J. U. D. ET PROF. ORDIRAR. REG. GYMNAS. SEDINENSIS.

Digitized by Google

Generoſi pariter & Politiſſimi Juvenes, Auditores dilectiſſimi.

PErcepiſtis ex ore meo haud ita pridem, cum Hiſtoriam Juris tertia nunc vice publice tradenti mihi frequentes adeſſetis, multum ad textuum Juris interpretationem facere, noſſe diſcrimen ſectarum veterum JCtorum, eorumque diverſa in Philoſophia ſtudia. Quamobrem ut argumentum hoc notitia dignum, utile, imo neceſſarium, eo firmius menti veſtræ hæreat, offero vobis brevem quandam delineationem Stoicæ veterum Romanorum Jurisprudentiæ. Diſcetis ex hac, dominari Philoſophiam Stoicam præ ceteris in Pandectis, & qua de cauſa? Diverſarum Legum ſenſum obſcurum nunc habebitis perceptu faciliorem. Intelligetis, quam bene multis in cauſis Jure conſulti veteres recte & ſapienter cum Stoicis ſentiant; ſimul etiam deprehendetis, in nonnullis articulis gravioris momenti, e. g. juris jurandi, & juris ſæviendi in corpus & vitam propriam, Stoicos Philoſophos cum Jure Conſultis

Digitized by Google

ſultis antiquis, & hos cum illis inſignem errorem erraſſe. Hunc uitabitis angue pejus, ſalutaria & innoxia præcepta retinebitis. Volvite has pagellas aſſidua lectione, nec vos impenſæ induſtriæ pœnitebit. Dabo operam, ut cum Deus O. M. vitam & ſanitatem conceſſerit, vobis progreſſu temporis exhibere liceat paucis foliis *Gravinam enucleatum*, ita quidem ut *Jurisprudentiam Romanam ortam*, *lapſam*, *& reſtauratam* cum præcipuis Jureconſultis cujusvis periodi, inde a temporibus LL. XII. Tabularum, usque fere ad ſeculum XVII. ab orbe redemto, exiguo horarum intervallo memoriæ veſtræ facili negotio mandare queatis. Valete. Dabam Sedini, in Muſeo die 13. Kalend. Decemb. A. O. R. MDCCXIX.

I. N. J.

CUm integrum Pandectarum volumen ex veterum ICtorum fragmentis juſſu & autoritate Imperatoris Juſtiniani compilatum ſit: Multum ſane confert ad ſolidam Jurisprudentiæ notitiam imbibendam, non tantum vitas iſtorum ICtorum legiſſe

a *Bernhardino Rutilio*, *Johanne Bertrando*, *& Guilielmo Grotio* deſcriptas, noviſſimeque a *Dn. D. Frankio* in unum codicem congeſtas: Sed & noſſe, cuinam ſectæ Philoſophorum fuerint addicti, id quod in enodandis textibus, & componendis ſententiarum repugnantiis haud leve præbet adminiculum. Quantumvis enim Juſtinianus miram locorum concordiam polliceatur, magis tamen arridet Cujacii monitum: quod nimirum ejusmodi promiſſis miſere torqueat illorum ingenia, qui fide illius difficultates ex repugnantia ſententiarum injectas propriæ malunt ignorantiæ, quam alienæ negligentiæ aſſignare. Docente autem *Gravina de ortu & Progreſſu Juris Civ. p. m. 79.* Servius Sulpitius primus dialecticicis regulis diſpoſuit Jurisprudentiam, adhibuitque artem, qua & genera componi ceperunt, & diſtingui partes, & definitiones concipi, colligique regulæ: ut per hanc artem univerſa Philoſophia, quæ ad mores pertinebat, in Jus civile manarit, & ſimul cum ea Philoſophorum rixandi cupido in tranquillam antea ſcientiam penetraverit, cum aliter ſentirent Juris conſulti qui a Stoicis eſſent; aliter qui a Peripateticis; aliter qui ab Epicureis

reis

reis ſivê Philoſophis ex horto; quodque ſua quisque â Familia imbiberat, in Jurisprudentiam refunderet. Ex interpretationibus igitur Jurisconſultorum in morem transeuntibus,& Legum aſperitatem verecunde ac furtim lenientibus,ortæ ſunt regulæ Juris æquitatis ratione temperatæ: quæ deinceps influxerunt in edicta magiſtratuum,atque decreta Principum: itaque duritiem perdomuerunt vetuſti ac directi juris. Hujusmodi ſunt uſus codicillorum, actio doli,actiones utiles, quia non ex directo & ſcripto jure, ſed ex utili & æqua Juris peritorum interpretatione proceſſerunt: exheredatio poſthumi, Aquilianæ ſtipulationes, variæ ſucceſſionum differentiæ, regula Catoniana,ſubſtitutio pupillaris, prohibitio donationis inter virum & uxorem, & ut ſoli magiſtratus mandent jurisdictionem,utpote ſibi ſuo jure competentem non alieno beneficio,ne pupilli ſine tutore autore obligentur, bonæ fidei judicia ſub eâ formula,*ut inter bonos bene agier oportet*, actio rei uxoriæ, querela inofficioſi, formulæ ſolennes,cautiones,& actiones Legis &c.

§. 2.

Licet autem negari nequeat,ex veteribus Prudentibus & ICtis multos fuiſſe *Eclecti-*

cos, qui in nullius Philoſophorum Sectam juraverant, ſed veritatem ſparſam per ſingulas iſtarum in unum colligebant, qualem & Ciceronem arbitratur fuiſſe *Hornejus* c.1. §.10. Nam etſi Tullius *Panætium* Stoicum in Libris de officiis potiſſimum ſecutum ſe fateatur, tamen id factum aſſerit correctione adhibita *L. 3. de offic.* unde eſt, quod eodem libro etiam Peripateticos appellat *Noſtros*. Id tamen exploratum ſatis habemus, plurimos veterum ICtorum Stoicæ præprimis Sectæ fuiſſe addictos, vid. *Schilterus in manuduct. Philoſoph. moralis ad Jurisprud. veram non ſimulatam cap. 1. §. 5.* ubi in teſtimonium hujus rei nominat *Publium Rutilium Ruffum JC. in L. 2. §. 40. de O. J.* quem prope perfectum in Stoicis prædicat *Cicero in Bruto.* quem ut Philoſophiæ deditum laudat *idem de orator.* quem *Panæti Stoici* auditorem fuiſſe, eumque magni æſtimaſſe perhibet *Idem L. 3. de offic.* Nec minus *Quintum Tuberonem* Stoicum fuiſſe apparet ex modo allegato Cicerone in Bruto. Porro *Quintus Mutius Scævola* augur, Sectas Philoſophorum recenſens, & ad Stoicorum deveniens, *Noſtri*, ait, *Stoici. vid. Cicero Lib. I. de orator. Trebatium* JCtum eidem, cui Cicero, Sectæ faviſſe conſtat ex hujus *Lib. 7. famil.*

famil. epiſtol. XII. De Epicureiſmo enim jocatur tantum Tullius, ceteroquin hortatur, ne à ſe deficiat; ergo oportet eum feciſſe cum ipſo. *Trebatii* auditor fuit *Quintus Antiſtius Labeo*, Proculi & Proculianæ Sectæ magiſter. Unde Merillius Proculianos ad Stoicos magis accedere obſervavit, Sabinianos ab iisdem disſidere. Ratio autem, cur doctrina Stoicorum maxime in Jure civili dominetur, hæc perhibetur à *Gravinâ*, quia *Zeno* à rebus gerendis minimè, ut aliæ Sectæ Philoſophorum, avocabat. Jubebat enim Chryſippus, niſi prohiberetur, πολιτεύεσθαι τὸν σοφὸν, & *Tacitus L. 14. cap. 58. aſſumta etiam Stoicorum arrogantia Sectaque, qua turbidos, & negotiorum appetentes facit.* Unde *Marcianus JCtus*, & ipſe Stoicus, eorum ſapientiam extollit. Promiſerat equidem *M. Aurelius Galvanus Ferrarienſis JCtus* commentationem de univerſa Stoica Jurisprudentia Veterum Romanorum, de qua tamen an lucem adſpexerit, dubito.

§. 3.

Poſteaquam igitur Philoſophia hac ratione Jurisprudentiæ erat intexta, ex diſputationibus & jurgiis opinionum, etiam Scholarum, nata varietas. Sciſſa namque Jurisprudentia in duas familias, quarum altera

tera *Caſſianorum* erat, altera *Proculianorum*. Origo disſidii ab *Attejo Capitone*, & *Antiſtio Labeone*, quod disſidium ortum ſub Auguſto, manſit usque ad Antonini tempora. Habuit utraque ſecta præcipuos autores, quorum ſeriem deſumtam à Gothofredo Juniore hoc ordine ſiſtit *Gravina d. loc. p. m. 83.*

Sabiniani	Proculiani
Caſſiani	Pegaſiani.
Sub Auguſto.	
Attejus Capito	Antiſtius Labeo
Ofilii diſcipulus.	Trebatii Diſcipulus.
Sub Tiberio.	
Maſſurius Sabinus.	Nerva Pater.
Sub Cajo Claudio Nerone.	
Cajus Caſſius Longinus.	Proculus
à quo Caſſiani.	unde Proculiani.
Sub Veſpaſianis.	
Coelius Sabinus,	Nerva filius, &
à quo Sabiniani.	Pegaſus, à quo Pegaſiani.
Sub Trajano, Adriano, Antonio Pio.	
Priſcus Javolenus	Celſus Pater
Alburnius Valens.	Celſus Filius.
Tuſcianus	Priſcus Neratius.
Salv. Julianus.	

Diverſorum autorum diverſa quoque

erant

erant ingenia. Attejus Capito, quæ à majoribus tradita fuerant, conſtantius tenebat, & verbis atque inſtitutis hærebat firmius. Labeo verò mentis quôdam ardore ſublatus, indulgebat ingenio, innixusque propriæ ſapientiæ ſibique amplius permittens, provehebatur in altum, & novitate ducebatur. Itaque plura intulit, vel ignota, vel intentata veteribus. Ingenium Præceptorum ſui cujusque diſcipuli expreſſerunt.

§. 4.

Hâc ratione plurima doctrinæ Philoſophorum & inprimis Stoicæ veſtigia obſervare licet in Veterum Juris Conſultorum fragmentis, quæ compilatores Juſtiniani in Digeſtis nobis reliquerunt. Operæ igitur pretium duxi in gratiam & utilitatem auditorum meorum, nonnulla excutere, & uberius paulò illuſtrare, quæ *Gravina* per indicem quaſi tetigit, vel planè etiam omiſit, præſertim cum iſte liber quamvis pulcherrimus in paucisſimorum, ut opinor, Juris Studioſorum manibus verſetur. Sit itaque.

OBSERV. I.

De Jure & Juſtitia.

ULpianus in *L. 1. ℑ. & ℑ.* Jus deducit à Juſtitia, more Stoicorum. Idem in *L. 6. §. 1.*

6. §. I. eod. fundamentum diviſionis Juris in ſcriptum & non ſcriptum à Græcis arceſſit. Ea verò diviſio eſt Platonis *Lib. 8. de Republica.* Idem *L. 10. eod.* Juſtitiæ definitionem mutuatus eſt à Simonide Philoſopho apud Platonem. Vid. *Schilterus in manuduct. Philoſoph. moralis ad Jurisprudentiam veram non ſimulatam cap. 1. §. 7.* Porrò quemadmodum Stoici virtutis, ita & Jurisconſulti ſeſe juſtitiæ Sacerdotes appellabant. *Diogenes Laertius* in proem. *& in Zenon. Ulpianus in L. I. D. de J. & J.* ibi: *Juſtitiæ ſacerdotes merito quis nos appellet. Iuſtitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu poenarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram Philoſophiam, non ſimulatam affectantes.* Similiter ut Stoici ſapientiam, ita & hi Jurisprudentiam rerum divinarum & humanarum ſcientiam definierunt. *conf.* omnino *Seneca in Ep. 89. & Hieronimus in Eſaiæ cap. 5.* dicens: *Inter Sapientiam & prudentiam hoc dicunt intereſſe Stoici, quod illa ſit rerum divinarum & humanarum notitia, iſta autem tantum mortalium.* Plato-

nici

mici aliter diſtinguunt, & illam in contemplatione, hanc in actione ponunt.

De Legibus.

OBSERV. II.

DEfinitionem Legis nobis tradit *Marcianus* JCtus in *L. 2. D. de Legibus* ex Philoſopho ſummæ Stoicæ Sapientiæ *Chryſippo*, in libro quem fecit περὶ νόμου. Scil. *Lex eſt omnium divinarum & humanarum rerum regina. Oportet autem eam eſſe Præſidem & bonis & malis, & principem & ducem eſſe: Et ſecundum hoc regulam eſſe juſtorum & injuſtorum, & eorum, quæ natura civilia ſunt animantium, præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem autem non faciendorum.*

De Jure Naturæ.

OBSERV. III.

ULpianus in *L. 1.* §. 3. D. de Iuſt. & Iure ſtatuit, *Jus naturæ eſſe id, quod natura omnia animalia docuit. Galvanus in Lib. de uſufructu cap. V.* eleganter oſtendit, ICtum hoc in negotio ſecutum fuiſſe *Stoicorum* principia, ſtatuentium, bruta ratione eſſe prædita, adeoque & jura illis ſancita. conf. *Schilterus cit. tract. cap. VI. p. 227.* Iſti enim

Jus

Jus naturale ex tribus potiſſimum æſtimabant. (1.) ex *dirigente*, qui Deus eſt ſeu natura. (2.) *ex actibus dirigendis*, quos hominibus & brutis communes eſſe affirmabant. (3.) ex *fine ſeu bono*, quò fit directio, quod eſt bonum corporis. Ex quibus patet, non intellexiſſe eos Naturam hominum propriam, quæ verum jus naturæ ac gentium producit, ſed omnem animantium communem. Certe quatenus non eſt norma, ad quam actiones conformandæ, tantum abeſt ut id brutis applicari poſſit; ut etiam diſtincta actionum cognitio ipſis denegetur. Sunt quidem actiones hominum & brutorum eædem *materialiter*, minime autem *formaliter*. Homo occidens hominem committit homicidium: brutum damnum inferre poteſt, non vero delinquere. Quodſi apud Ulpianum jus ſignificare tantum debet *inſtinctum naturalem*, luſus eſt in termino, & ſenſus æquivocus, qui tollendus: qua ratione jus naturale diceretur commune brutis, non quod jus reperiatur in brutis, ſed quia in iis deprehenditur, quod quando eſt in homine, jus vocatur, haud ſecus atque analogia quædam, & quaſi umbra virtutum in nonnullis brutis obſervatur. Atque hæc explicatio *Galvani cit. loc.* & *Dn. Georgii*

Paſchii,

Paſchii in introduct. ad rem Literariam moralem veterum c.3.§.4 præ ceteris tenenda. *Conf. Grotius de Jure Belli & pacis l.1. cap.1. Salmaſius de uſuris cap.9.*

De Statu Hominum.

OBSERV. IV.

JUreconſulti cognationem quandam inter homines natura conſtitutam eſſe tradebant, ideoque nefas ducebant, hominem homini inſidiari *L.3. D. de juſtitia & Jure.* Et *Papinianus in L.7. D. de ſervis export. ait:* beneficio affici hominem, hominis intereſſe. Pari ratione *Stoici* referente Tullio in *Lib.3. de finib. bon.* dicebant, communem eſſe hominum inter homines, & naturalem commendationem. Et *Seneca Epiſt.* 95: cognatos nos natura eſſe docet, unde à Stoicorum doctrina promanavit commendatio illa ſumma humanitatis, & mutuæ benevolentiæ ſtudium ad mutuam opem.

OBSERVAT. V.

ULpiani regula *L.32. de R. J.* Jure naturali omnes homines æquales, à Stoicis mutuata. Merill. 1. *Obſ.18.*

OBSERVAT. VI.

SEneca Stoicorum Sectæ addictus *Lib.VII. de beneficiis cap. 1.* neſcis, inquit, quare

ſeptimus quisque annus ætati ſignum imprimat. Ad quæ *Lipſius.* Quo ſenſu? ut revera corpori aliquod ſignum ſit & veluti tranſitus nota? Sicut anno 7. dentes cadunt & naſcuntur: bis ſeptimo pubertas erumpit: ter ſeptimo genæ veſtiuntur: quater ſeptimo genuini emergunt. In Philone quidem tale aliquid diſtincte eſt legere de opificio mundi. An hoc placet ſeptimo quoque anno mutari hominem & ſignum ætatis imprimi, nova nomenclatura? Ut ad primum ſeptenarium *infans*, inde ad alterum *puer*, ad tertium *adoleſcens*, ad quartum *juvenis*, quintum *vir*, ſextum *maturus vel gravis*; ſeptimum *ſenex*; atque inde decrepitus. An denique ad gradus vel κλιμακτῆρας ætatum adſpexit? in quibus antiquitus proditum, ſeptimo quoque anno, mutationem aut diſcrimen evenire, quod Varro apud *Agellium l. 3. cap. 10.* notat. Itaque ſignum imprimit morbi, vel periculi, vel mutationis.

Similiter Jureconſulti intervalla naturæ ſeptenis annis diſtinguunt. Unde ſeptimo anno pueritia. *Ulp. L. 1. §. 2. D. de admin. & peric. tut.* quarto decimo vero pubertas definitur, exemplo Stoicorum, à compluribus juris autoribus, quorum opinio prævaluit.

luit. Atque hæc præſertim fuit Proculi ſententia, rejecta Caſſianorum & Priſci JCti opinione, *Vinnius ad pr. J. quibus modis tutela finitur.*

OBSERV. VII.

Jureconſulti negant, fœtum in utero eſſe hominem. *L. 9. D. ad L. Falcidiam L. 1. §. 1. D. de ventre inſpiciendo.* ſed maternorum viſcerum partem. Ejusdem ſectæ Stoicæ aſſertum eſt, embrionem animal non eſſe, ſed partem matris, neque diſſentit Peripateticorum ſecta. Animal enim gravidum eſt unum & totum per accidens, phyſica unione gaudens, adeoque majorem convenientiam habens cum uno per ſe, quam quæ tantum per aggregationem. *D. Stabl. Metaphyſic. C. 31.* quo facit diſtinctio partium apud Ariſtotelem, quod alia ſit omne id, *ἐξ οὗ σύγκειται τὸ ὅλον.* Qua ratione & lac, & ſemen, pili, & ita etiam ſemen formatum, partes totius dicuntur; alia, certum corpuſculum & organon ad officium certum deſtinarum, quod Hippocrati ἴσχον dicitur. *Schilterus dict. loc. cap. I. §. 8.*

De Uſufructu.

OBSERV. VIII.

Stoicorum inprimis fuit dogma: Principio ipſum mundum Deorum hominum-

que cauſa factum eſſe, quæque in eo ſunt, ea parata ad fructum hominum & inventa eſſe. *Cicero lib. 2. de natura Deorum.* Hac ratione uſus *Junius Brutus* JCtus negavit, *partum ancillæ in fructu eſſe*, neque enim in fructu hominis hominem eſſe poſſe *L. 68. D. de uſufr. act. Merill. I. obſ. 12.* Et in §. 37. *J. de R. D.* nec non *L. 28. D. de uſuris*, dicitur: abſurdum videtur, hominem in fructu eſſe, cum omnes fructus rerum natura gratia hominis comparaverit. Ad quæ verba ita *Vinnius*: eadem quoque Stoicorum ſententia fuit, à quibus auctores noſtri fere imbuti. add. *Cicero. L. 3. de finibus.*

De Jurejurando.

OBSERV. IX.

Jusjurandum promiſſorium ſecundum Leges Romanas non magis obligat quam nudum pactum, adeoque nullam producit actionem. Et pactum à jure communi recedens licet juramento corroboratum non valet. Sequitur enim juramentum naturam actus, cui eſt adjectum. Ita *Ulpianus in L. 7. §. 16. de pactis. add. L. 95. §. 4. D. de ſolut.* verbis: quod vinculum æquitatis, *quo ſolo* ſuſtinebatur conventionis æquitate diſſolvitur.

Vi-

Digitized by Google

Videtur ſane Ulpianus hoc in negotio principia nonnullorum Stoicorum, præcipue Ciceronis, ſectæ Stoicorum impenſe faventis, ſecutus, utpote qui negabat, vim jurisjurandi in *metu vindictæ divinæ* conſiſtere, quin potius in *ſola fide atque juſtitia* vim juramenti collocabat, id quod ſatis apertè innuunt verba ejusdem in *Lib. 3. de officiis*, cum ait de Jurejurando Reguli: *Non fuit Jupiter metuendus, ne iratus noceret; quia neque iraſci ſolet, neqe nocere. Sed in jurejurando non qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi. Eſt enim jusjurandum affirmatio religioſa, quod autem affirmativè, quaſi Deo teſte, promiſeris, id tenendum eſt. Jam enim non ad iram Deorum, quæ nulla eſt: Sed ad juſtitiam & ad fidem pertinet.* Sed Ciceronem ſolidè refutavit *Schilterus cit. loc. cap. 2. §. 16*, oſtendens, vim Jurisjurandi quam maximè in *metu vindictæ divinæ* conſiſtere, adeoque ab hoc fidem & juſtitiam planè non eſſe ſeparandas. Generatim autem Stoicis ſatis fecit *Lactantius Lib. de Ira Dei, Cap. XVII.* Et quid moribus noſtris in foro juris obtineat circa juramenta promiſſoria & confirmatoria, ſatis juſte & rectè tradunt Doctores ad Tit. D. de Jurejurando, vobisque

que A. Dil. expoſitum eſt ad §. *XI. J. de actionibus.*

De uſuris.

OBSERVAT. X.

De uſuris eandem atque Stoicorum Secta Jureconſulti ſententiam tulerunt: Illi enim uſuras vocarunt humanæ cupiditatis *extra naturam* quæſita nomina. Et Juris conſulti dixerunt uſuras *natura* non provenire, ſed percipi jure. *L. 62. D. de R. V. L. 121. de V. S.* Pertinet huc locus apud *Senecam de beneficiis Lib. 7. c. 10. Quid fœnus, & Kalendarium, & uſura, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina? Quid ſunt iſtæ tabulæ, quid computationes, & venale tempus, & ſanguinolentæ centeſimæ? voluntaria mala ex conſtitutione noſtra pendentia, in quibus nihil eſt quod ſubjici oculis, quod teneri manu poſſit, inanis avaritiæ ſomnia. O miſerum! Si quem delectat ſui patrimonii liber magnus & vaſta ſpatia terrarum colenda per vinctos, immenſi greges pecorum per provincias paſcendi, & familia bellicoſis nationibus major, & ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia! Cum bene iſta, per quæ divitias ſuas diſpoſuit ac fudit, circumſpexerit, ſuperbumque ſe fecerit, ſi quic-* quid

quid habet, ei quod cupit comparet, pauper eſt. Dimitte me, & illis divitiis meis redde. Ego regnum ſapientiæ novi, magnum, ſecurum. Ego ſic omnia habeo, ut ſint omnium.

De uſu & autoritate Codicillorum.

OBSERVAT. XI.

ANtiſtius Labeo JCtus Stoica Philoſophia imbutus, tantæ fuit autoritatis in urbe Româ, ut cum acerrime utrinque certaretur de recipiendo codicillorum uſu; illius exemplum omnes alios ad ſe traxerit. Nemo enim de Codicillorum autoritate dubitavit, poſtquam iis uſum Labeonem apparuit. *Gravina c. loc. p. m. 107. conf. Id. p. m. 79.* ibi: *hujusmodi ſunt uſus codicillorum &c.*

De luctu conjugum & cognatorum.

OBSERVAT. XII.

PAulus JCtus in *L. 9. D. de his qui notantur infamia* ait: *Uxores viri lugere non compelluntur.* Idem ferè ſentiunt Stoici. Vide *Senecam in Epiſt. 64.* ibi: *Annum foeminis ad lugendum conſtituêre majores, non ut tam diu lugerent, ſed ne diutius. Viris nullum legitimum tempus eſt, quia nullum honeſtum. Quam tamen mihi ex illis*

mulierculis dabis, vix retractis a rogo, vix a cadavere revulſis, cui lacryma in totum menſem duraverint? Nulla res citius in odium venit quam dolor: qui recens conſolatorem invenit, & aliquos ad ſe adducit: inveteratus vero deridetur, nec immerito: aut enim ſimulatus, aut ſtultus eſt. De Jure moderno circa luctum vid. *Carpz. Ipr. Eccl. L. 2. D. 160. & 161. & ſpecialia Locorum ſtatuta.*

OBSERVAT. XIII.

ULpianus in *L. 33. d. t.* parentes & li-" beri utriusque ſexus nec non & cete-" ri agnati vel cognati, ſecundum pietatis" rationem & *animi ſui Sapientiam*, prout" quisque voluerit, lugendi ſunt: qui autem eos non eluxit, non notatur infamia. Quænam fuerit Stoicis in communi hoc quidem at triſti caſu *animi ſapientia*, colligere licet ex *Epicteto in Enchiridio. cap. 33.* ibi: *Naturæ propoſitum ex iis rebus, de quibus nulla inter nos controverſia eſt, cognoſci poteſt: exempli gratia: Si vicini puer poculum aut quid aliud confregerit, in promtu illud ſtatim eſt: ita fieri ſolere. Scito igitur, ſi & tuum confractum fuerit: eundem Te eſſe oportere, qui fueris, cum frangeretur.*

geretur alienum. Sic transfer iſta ad majora. Filius alterius obiit aut uxor? nemo eſt, quin dicat, humanum id eſſe. Sin ipſi alicui id acciderit: ſtatim, hei mihi inquit, O me miſerum! meminiſſe autem oportebat, ut affecti ſimus, cum tale quippiam de aliis audimus. Add. *Seneca de tranquillitate animi c. 15.* ibi: *humanos effugiſti caſus, livorem, morbum: exiſti ex cuſtodia: Non tu dignus mala fortuna Diis viſus es, ſed indignus, in quem jam aliquid fortuna poſſet. Neminem flebo letum; neminem flentem. Ille lacrymas meas ipſe abſterſit: hic ſuis lacrymis effecit, ne ullis dignus ſit. Omnes iſti, quos luges, levi temporis impenſa invenerunt, quomodo æterni fierent; ad immortalitatem moriendo venerunt. conf. Seneca de Conſolat. ad Marciam, Helviam, Polybium.* Obiter de *Epicteto*, antequam ad alia deflectamus, notandum *Juſti Lipſii* judicium ita ſonans: *Ego ſenecionem illum nunquam lego, niſi cum interno animi motu, &, quod Homeri proprium, pluris facio, cum relego, ſemper ut novum, & cum repetivi repetendum. Tironem aliquem & rudem vera Philoſophia vix afficiat aut tangat, proficientem aut profectum incredibi-*

le eſt quam excitet, & cum pungat, ubique tamen etiam delectet. Genus ſtyli conciſum, fractum eſt, & quod indolem ſubitanei ſermonis habet; ſed docta interveniunt ſæpe, ſemper ſalutaria, & non eſt, qui bonam mentem magis aut trahat, aut formet. Hactenus Lipſius; cui adjungendus *Cardinalis Borromaeus*, qui lectione Epicteti ad contemtum rerum humanarum & amorem divinarum, imo ad verum Chriſtianiſmum ſe tandem perveniſſe dixit, ſcripſitque, referente *Georg. Paſchio in introduct. ad rem literar. Veterum moralem cap. 4.* §. *18.* Summam totius Philoſophiæ Stoicorum Princeps Epictetus his duobus contineri dixit: *ἀνέχȣ καὶ ἀπέχȣ.* Suſtine & abſtine. Ceterum de laudatoribus & reprehenſoribus Philoſophiæ Stoicæ conſule Dn. *Georg. Paſchium* cit. *tract. c. 3.* §. *8. Scheurli bibliographiam moralem p. 71. ſeq. Dn. Buddei Tract. de præcipuis Stoicorum in Philoſophia morali erroribus.* it. *Monſ. & Madame Dacier dans la Preface ſur les reflexions morales de l' Empereur Marc Antonin. Cicero* ſane *Lib. IV. Tuſcul. quæſt.* Stoicos hoc elogio ornat: Licet, inquit, inſectemur Stoicos, metuo, ne ſoli philoſophi ſint. Et

Sene-

Seneca c. I. de conſtantia Sapientis tantum intereſſe inter Stoicos, & ceteros Sapientiam profeſſos ſcribit, quantum inter viros & fœminas, indeque Stoicorum Sectam fortisſimam & ſanctiſſimam vocat.

De acquirendo rerum Dominio.

OBSERV. XIV.

IN ea quæſtione: Sit ne artifex ſpeciei Dominus, an qui materiæ dominium habet? Proculiani pro artifice ſtabant, quia ex doctrina *Stoicorum* acceperant, res non tam materiæ quam formæ, atque adeo ipſius conditori eſſe adjudicandas; cum id, quod ſunt res, a forma ducant, ſine qua materia prorſus eſt iners. *conſ. Seneca in Epiſt. 88.* ibi: *Ligna nihil navi conferunt, quamvis non fiat navis ſine lignis.* Sabiniani e contrario pro domino *materiæ* pugnabant, putantes, naturali rationi convenientius eſſe, ut qui materiæ dominus fuiſſet, idem quoque dominus eſſet ſpeciei ex ea confectæ, cum ſine materia nulla ſpecies effici posſit. §. *25. J. de R. D.*

OBSERVAT. XV.

EO ipſo dum compilatores Inſtitutionum has ambiguitates Proculianorum

&

& Sabinianorum, *media quaſi ſententia arrepta*, dirimere ſatagunt, iterum vel ipſi quoque *Stoicos* imitantur, quod claſſis verbis innuit *Vinnius in notis ad h.* §. verbis: ſic & alias autores noſtri medium ſequuntur. *L. 3. ſi pars hered. L. 25. D. de pignerat. act.* IMITATIONE STOICORUM qui ob id Servio eriſcundi μέσην ὁδὸν τέμνοντες.

De Jure hominis in ſe ipſum, ſeu de facultate ſæviendi in proprium corpus & vitam.

OBSERVAT. XVI.

Licebat per *Stoicos*, angorem animi effugere voluntaria morte, quod & Seneca ſæpe numero prædicat; & Zeno ipſe proprio ſanxit exemplo, nec non Cato. Ita horride *Senec. de ira Lib. 3. c. 15.* *Quid gemis demens, quid expectas, ut te hoſtis aliquis per exitium gentis tuæ vindicet, aut rex a longinquo potens advolet? Quocunque reſpexeris, ibi malorum finis eſt. Vides illum præcipitem locum? illac ad libertatem deſcenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? libertas illic in imo ſedet. Vides illam arborem brevem, retorridam, infelicem? pendet illic libertas. Vides*

des jugulum tuum; guttur tuum, cor tuum? effugia ſervitutis ſunt. Nimis tibi operoſos exitus monſtramus, & multum animi ac roboris exigentes. Quæris, quod ſit ad libertatem iter? Quælibet in corpore tuo vena.

Idem *de Providentia c. 6. in fin. Non in alto latet ſpiritus, nec utique ferro eruendus eſt: non ſunt vulnere impreſſo penitus ſcrutanda præcordia: in proximo mors eſt. Non certum ad hos ictus deſtinavi locum: quacunque pervium eſt. Ipſum illud, quod vocatur mori, quo anima diſcedit a corpore, brevius eſt, quam ut ſentiri tanta velocitas poſſit, ſive fauces nodus eliſit, ſive ſpiramentum aqua præcluſit; ſive in caput lapſos ſubjacentis ſoli duritia comminuit, ſive hauſtus ignis curſum animæ remeantis interſcidit: quicquid eſt, properat. Ecquid erubeſcitis? quod tam cito fit, timetis diu?* Similia in Thebaide leguntur, ſed non ſine horrore:

Hic alta rupes arduo ſurgit jugo,
Spectatque longe ſpatia ſubjecti maris:
Vis hanc petamus? Nudus hic pendet ſilex,
Hic ſciſſa tellus faucibus ruptis hiat,

Vis

Vis hanc petamus? Hic rapax torrens cadit,
Parteſque lapſi montis exeſas rotat:
In hunc ruamus!

Licuit αὐτοχειρία etiam per *Proculianos*: ſiquidem Neratius, qui ex ea familia erat, lugeri vetat eum, qui ſceleris conſcientia mortem ſibi conſcivit, non qui tædio vitæ. *L. 11. §. 3. D. de his qui not. infam.* idque Imperatores Hadrianus & Antoninus Pius approbarunt. vid. *L. 3. §. 4. & 5. D. de bonis eorum qui ante ſententiam.* De Coccejo Nerva JCto *Tacitus L. 6. annal.* ſequentia refert: Haud multo poſt Coccejus Nerva continuus Principis, omnis divini humanique Juris Sciens integro ſtatu, corpore illæſo, moriendi conſilium cepit, & tandem abſtinentiam cibi conjunxit, atque ita e medio ſublatus eſt. Ferebant gnari cogitationum ejus, quanto propius mala Reipublicæ viſeret, ira & metu, dum integer, dum intentatus honeſtum finem voluiſſe. Et Ulpianus *in L. 9. §. 7. D. peculio* ſtatuit: *Licere etiam ſervis, naturaliter in corpus ſuum ſævire*: Sed hic vox *naturaliter* intelligenda non de jure ac honeſte naturali primæva, ſed de licentia & impunitate

nitate Juris naturæ ſecundarii & gentium, quo vi imperii rationis & mentis in membra, ſævire in corpus ſuum cuique licitum, inprimis ſecundum Stoicorum placita & Romanorum mores, quod tamen rectius reprobatum, ex quo eodem principio etiam *Jus vitæ & necis in liberos* patri datum fuerat. Ita ſentit celeberrimus *Schilterus in manuduct. Philoſoph. c. 6. §. 19. it. c. 4. §. 9. & 10.* ſic tandem concludens: quamobrem cum nec a Jure Conſultis Romanis negetur, imperium illud animi in corpus *naturaliter* cuique homini competere, igitur videtur exinde conſequi, ἀυτοχειρίαν eſſe licitam, cum jus ſæviendi in corpus ſuum etiam usque ad occiſionem & ſolvendam hanc animæ & corporis unionem ſeſe extendat. Et innixi hoc fundamento multi & philoſophi & viri fortes, non ſententia modo, ſed & facto ipſo id approbarunt, præſertim qui a *Stoa* pervenerant. Sed enim & alii Philoſophorum, & *nos, qui veritatem Chriſtianam agnoſcimus*, rem rectius perpendentes deprehendimus, quod licet ex parte corporis & membrorum nullum jus nullaque injuria appareat, quo imperium illud abſolutum reſtringatur, tamen

ex

ex parte cauſæ externæ & ſuperioris, a qua omnis iſthæc unio animi & corporis dependet, ſatis reſtringatur hoc imperium & hæc ſæviendi licentia. Injuriam enim graviſſimam adverſum Deum conditorem committit, qui iſthanc, quam inſtituit ille conjunctionem diſſolvit ipſo invito. Quæ ratio naturalis etiam prohibiti in univerſum homicidii eſt. Et pertinet etiam huc Lex divina, *quæ Deus conjunxit, homo ne ſeparet. v. Grotius de Jure B. & P. 2. 19. 5.* Sed cum hæc lex & reſtrictio divina a multis negligi videatur, oportuit in rebus publicis bene conſtitutis eandem Jure Civili ſtatuminare, & variis pœnis corrobare. Hactenus *Schilterus*. Jungi meretur huic materiæ elegans *Diſſertatio de Jure hominis in ſe ipſum Generoſiſſ. Dn. de Oſten habita ſub Præſidio B. Sam. Strykii.* Denique & hoc probe notandum, ipſum *Ulpianum in L. 23. §. 3. D. de ædilitia Edicto* longe melius ſtatuere: ibi: *Malus* ſervus creditus eſt, " qui aliquid facit, quo magis ſe rebus hu-" manis extrahat, ut puta laqueum torſit," ſive medicamentum pro veneno bibit," præcipitemve ſe ex alto miſerit, aliudve" quid fecerit, quo facto ſperavit mortem"

per-

perventuram, tanquam non nihil in ali-"
um auſurus, qui hoc adverſus ſe auſus eſt.
Conf. Carpz. Pr. Crim. quæſt. 2. n. 25. & ſeqq.

De caſtratororum a ſpadonibus differentia.

OBSERVATIO XVII.

CAſtratos *Proculiani* morboſos exiſtimarunt autoritate *Stoicorum* & Cynicorum, quos Lucianus ait rejeciſſe caſtratos inter imperfectos. Ideo ſi emtor ignoraſſet caſtratum hominem a ſe emtum, Labeo Proculianorum Princeps redhibendum cenſuit, quaſi morbo affectum. Gellius *L. 4. c. 2. L. 6. D. Liberis & poſthumis.*

De Proportione Arithmetica.

OBSERVAT. XVIII.

STOici ſequebantur proportionem arithmeticam, cum omnia peccata putarent æqualia, æquales virtutes, neque de ſapientibus alterum alteri ſapientia præſtare arbitrarentur, (ut enim nec vero quid verius, neque falſo quid falſius: ita nullus error aut crimen alio erat eorum ſententia ma-

Digitized by Google

jus.) Eandem proportionem amplexos eſſe *Proculianos*, oſtendit *L. 24. C. de Legatis.* Nec mirum, quia Trebatius Labeonis doctor, a quo Proculiani, omnia crimina exæquabat. *L. 21. pr. D. de furtis.* Nam teſte Ulpiano Trebatius putabat, eum, qui aurem alicujus tangeret, totum attigiſſe corpus, & qui dolium aperiret, indeque parum vini auferret, non tantum ejus, quod abſtulit, furem eſſe, verum etiam totius, quod iterum Stoicam doctrinam ſapit. *Gravina c. loc. p. m. 86.*

De atomorum effluviis.

OBSERVAT. XIX.

Epicuri dogma de atomorum effluviis approbat JCtus Alfenus *in L. 76. D. de Judiciis* : verbis : *Quod ſi quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri : fore, ut ex ejus ratione nos ipſi non eſſemus iidem, qui abhinc anno fuiſſemus ; propterea quod ut Philoſophi dicerent, ex quibus particulis minimis conſiſteremus, hæ quotidie ex noſtro corpore decederent, aliæque extrinſecus in earum locum accederent, &c.*

De

De ſtudio dialecticæ Stoicis cum Jureconſultis communi.

OBSERVAT. XX.

CONſuetudine Stoicorum Proculiani maxime occupabantur in dialecticis, quarum *Labeo* peritiſſimus habebatur. *Gellius L. 13. c. 10.* Plurimumque laborabat in regulis conjunctionum & diſtinctionum pertexendis, ordinandisque verborum nexibus. *L. 29. L. 53. §. 1. L. 124. D. de verb. Sign.* De Logices ſtudio ita Cicero: Stoicorum ait, in dialecticis cura omnis conſumitur. Ipſe Zeno geſtu multa confecit. Nam cum extenſis digitis adverſam manum oſtendiſſet, *viſum* tradebat ejusmodi eſſe: deinde cum digitos paululum conſtrinxiſſet, *aſſenſum* innuebat, quos cum extremo plane compreſſiſſet, feciſſetque pugnum, *comprehenſionem* indicabat. Cum autem levam manum admoviſſet, & illum pugnum arcte vehementerque conſtrinxiſſet, *Scientiam* ſignificabat, cujus comporem, niſi ſapientem, eſſe neminem: ex quibus colligere licet, illi diſſerendi rationi, quæ probabilibus contenta eſt, Stoicos præſertim indulſiſſe. Diſputarunt etiam præter do-

ctrinam de ſyllogiſmo probabili, de contortis & aculeatis ſophismatibus, erantque breves & conciſi in ratiocinando, comparantes eo nomine dialecticam cum pugno, cum palma autem Rhetoricam.

De ſtylo conciſo Stoicorum & horum Sectæ addictorum JCtorum.

OBSERVAT. XXI.

STOici brevibus atque conciſis numeris concludebant ſententias ſuas, quemadmodum eodem genere dicendi plerique e JConſultis veteribus uſi ſunt, prout paſſim ex inſpectione Pandectarum apparet. *Buchnerus in egregio Libro de commutata dicendi ratione p. 634. de Seneca* hunc in modum judicat. Multus in rationibus Seneca, quo nullum ingenium in Romanis poſt Ciceronem diſertius fuit. Ad Cenſoris Galli frigida argumenta quod attinet, ſit Seneca in Stylo brevis, ſententiisque affluens; at flagitarunt ejusmodi ſcribendi rationem ea, quibus Noſter vixit, tempora, ubi longis periodis aures jam defatigatæ erant, & ambages verborum varietatis amantes excutere inceperant. Quin ipſa ſecta Stoica, cui addictus Seneca, videbatur poſtu-

poſtulare brevem & ornatam ſententiarum concinnitatem, cujusmodi ſtylum quaſi jus hereditarium noſter Philoſophus ſibi arrogavit.

De affectibus.

OBSERV. XXII.

DEfiniebant Stoici affectus per opiniones pravas: Hinc orta illa in Stoa adhortatio: *βάλε ἔξω τὴν ὑπόληψιν. Ejice opinionem & ſalvus es.* Docebant nimirum Stoici, affectus malos eſſe, adeoque eradicandos & evellendos, ex quo plurimi interpretes collegerunt, hos e porticu Philoſophos omnes affectus a Sapiente vel viro bono auferte voluiſſe, quo illud *Senecæ* trahunt, *in Epiſtola 116.* ſcribentis: *Utrum ſatius ſit modicos habere affectus, an nullos, ſæpe quæſitum eſt? Noſtri illos expellunt, Peripatitici temperant.* Alii e contrario defendere anniſi ſunt, Stoicos ſola novitate verborum ab Academicis & Peripateticis diſcrepare, nec culpaſſe & a Sapiente exulare juſſiſſe omnes affectus, ſed eos tantum, quibus pravus voluntatis conſenſus accedit, quippe hominem ad flagitia & peccata transverſum abripiunt. conf.

Digitized by Google

Durrius in Problematum Moralium ſeleɛtiorum Centuriæ, Problem. 49. it. *Wolfgang. Heiderus in Philoſoph. moralis Syſtemate Part. 2. p. 391. ſeq.* quorum uterque adductis in majorem fidem veterum teſtimoniis clare oſtendit, moderatiores e Stoa Philoſophos non voluiſſe ſublatos omnes affectus, ſed illos, qui recte rationi adverſantur.

Jure Conſulti quoque veteres *Ulpianus & Vivianus* tantam excedentium affectuum habuere conſiderationem, ut propter venditos ſervos *præter modum timidos, cupidos, avaros*, aut *iracundos* actionem ex emto conceſſerint in *L. 1.* §. *11. D. de ædilitio Edicto.*

De delictis ſive criminibus.

OBSERV. XXIII.

TRebatius JCtus, Labeonis, a quo Proculiani, præceptor, omnia crimina exæquabat. *L. 21. pr. D. de furtis.* Et hoc quoque ex Stoicorum ſchola fluxit, qui peccatis ineſſe æqualitatem ſtatuerunt. *Falli*, inquit *Cicero Lib. 1. de Offic. errare, labi,*

bi, decipi tam dedecet, quam delirare & mente captum eſſe. Verum quis non videt, majus eſſe malum & dedecus inſaniam, quam qualemcunque errorem. Porro nititur probare *paritatem peccatorum*, quando in eodem libro aſſerit: "Qui non defendit nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes aut amicos, aut patriam deſerat &c." Cum vero non ſimus obligati ad præſtanda eadem omnibus officia, non erunt etiam æquales injuriæ. Sane civi magis obligati ſumus, quam peregrino, facimusque majorem injuriam, ſi parentes, quam ſi amicum deſeramus, & dum patria omnes caritates, omnesque neceſſitudines complectitur, in maximo erit vitio, qui contra illius ſalutem operatur. Pari ratione, ſi quiſpiam circa res & bona eccleſiaſtica fidei ſuæ commiſſa dolum, ſimulationem vel fraudem admiſerit, atque eo ipſo pudorem & famam apud bonos & honeſtos viros decoxerit, ſine dubio is gravius deliquiſſe cenſendus, quam qui res ſeculares fraudulenter adminiſtravit.

Coronidis loco Jureconſultus doctrina & vita Stoicus ſiſtendus.

IS fuit *Publius Rutilius Rufus*, græcis literis cum primis eruditus, P. Mutii Scævolæ & Panætii Stoici auditor, cujus diſciplinæ alumnum non mentis & orationis tantum, ſed operum quoque ſeveritate tota vita ſe præſtitit. Siquidem neque injuria unquam, nec gratia victus, utramque adverſam pariter ac ſecundam contemſit fortunam: Et civitatem, quam exul & ambitus injuſte damnatus reliquerat, etiam oblatam a Sylla repudiavit: quaſi opus non eſſet, reddere ſibi civitatem, quam ſalva innocentia, retentaque animo romana virtute, nunquam amiſerat. Hinc in eo judicio, dum proſe diceret, neque ſummos Oratores L. Craſſum, & M. Antonium ſibi adeſſe voluit; neque ſupplices manus ad cujusquam genua circumtulit: Sed majori ſibi gloriæ duxit, innocentem damnari, quam ſuperborum opem implorantem abſolvi. Huic viro eo tempore, cum accuſaretur

retur,feſtivi quippiam accidit,quod *Cic. L.2. de orat.* ita enarrat: " cum Æmilius Scau- " rus accuſaret Rutilium ambitûs,cum ipſe " Conſul eſſet factus,ille repulſam tuliſſet,& " in ejus tabulis oſtenderet literas A. F. P. R. " idque diceret eſſe: Actum Fide Publii Ru- " tilii. Rutilius autem: Ante Factum Poſt " Relatum. C. Cannius eques Romanus, " cum Rufo adeſſet, exclamat,neutrum illis " literis declarari. quid ergo? inquit " Scaurus. Æmilius Fecit,Plectitur Rutilius." Ac ſicuti hunc nullæ inimicitiæ,ita nec amicitia deflexit à virtute. Cum enim cujuscdam amici parum juſtæ rogationi reſiſteret, & amicus diceret: *quid mihi amicitia tua, ſi nihil abs te impetro, opus eſt?* Rutilius retulit: *Imo quid mihi tua, ſi propter Te ſum aliquid inhoneſti facturus?* Itaque rectiſſimè hunc togatum & conſularem Socratem appellaveris. Hinc Ovidius de Ponto *L.1. eleg.4.*

Et grave magnanimi robur mirare Rutili
Non uſi reditus conditione dati,
Smyrna virum tenuit,&c.

Digitized by Google

Hinc *Seneca de providentia c. 3.* Infelix eſt Rutilius, quod qui illum damnaverunt, cauſam dicent omnibus ſeculis? quod æquiori animo paſſus eſt, ſe patriæ eripi, quam ſibi exilium? Et Rutilius cuidam reditum precanti ita reſpondiſſe fertur: *Quid tibi mali feci, ut mihi pejorem reditum, quam exitum optares? malo, ut patria exſilio meo erubeſcat, quam reditu moereat.* vid. *Grotius in vita ejusdem L. 1 c. 7. p. m. 55.*

Tantum!

Sit Soli DEO gloria in æternum.

DE

DE
DISPVTATIONE FORI
PROGRAMMA
GOTTL. SLEVOGTII.

Digitized by Google

ROma regum ſuorum impatiens, una cum regibus *L. Tribunitia A.V. C. 244.* exegit eorum ſancita, & jus Regium, quod a collectore Papyrio ſub Tarquinio ſuperbo civile Papirianum fuit dictum, & quod ſingulari commentario illuſtravit *Granius Flaccus. L. 144. de V. S.* fragmenta vero ſervavit *Ant. Auguſtinus in tr. de LL. & SCtis,* abrogavit, coepitque incerto magis jure, quam per latam Legem, vivere. Non tamen amplius hoc, quam per viginti exactis Regibus annos, teſte *Pomponio L. 2. §. 3. de O. J.* (licet forte hallucinante, *Eberlin. ad Tit. ff. de O. J. C. 4. n. 19.*) duravit, cum populus autoritate Conſulum & tribunorum, qui exactis regibus erant ſuffecti, *tres viros* in Græciam ablegaverit, & a Græcis civitatibus anno 299 A. V. C. ſtatuta petierit, *quæ* tertio poſtea anno Romam perlata, & a *decemviris*, interprete *Hermoduro*, Epheſio in Italia exule, (cui poſtea ſtatua in Comitio poſita. *Plin. Hiſt. Nat. L. 34. c. 5.*) latinitate dona-

donata, immixtis *Legum Regiarum* particulis, in DECEM TABVLAS Comitiis centuriatis contraxerunt eboreas, juxta *Pomponium* cit. *L. 2. §. 4.* Et juxta *Liv. lib. 3. Dionyſ. Halicarnaſſ. L. 10. Svetoń. in Jul. Caſ. c. 28.* pro roſtris (ſuggeſtus erat e roſtris navium Antiatium prope comitium compoſitus *Liv. L. 8. Eberlin. c. l. c. 5. n. 9.*) poſuerunt, alteroque anno duabus novis auxerunt Romani tabulis. Contenta harum LL. 12. tabb. (teſtantibus fragmentis ap. *Dion. Gothofred. in Epit. fragment. Genev. 1686.. Jac. Gothofr. in IV. fontibus Jur. Civ. Gravin. Origg. jur.* & in *Opuſc.*) huc redibant, quod Tab. I. egerit de in jus vocando; Tab. II. de Judic. & Furtis; Tab. III. de reb. credit. Tab. IV. de jure patrio & connubii; Tab. V. de hereditatibus & tutelis; Tab. VI. de dominio & poſſeſſione; Tab. VII. de delictis; Tab. IIX. de jure prædior; Tab. IX. de jure publico; Tab. X. de jure ſacro, ſepulchrorum, ceremon. & jurejur. Tab. XI. de connubiis patriciorum cum plebe; Tab. XII. denique ſupplebat tabb. priores. HIS LL. LATIS COEPIT, VT NATVRALITER EVENIRE SOLET, VT INTERPRETATIO DESIDERARET PRVDENTIVM AVTORI-

TORITATE NECESSARIAM ESSE DISPVTATIONEM FORI. *Pompon, L. 2. § 5. de O. J.* Locus hic quidem ſcribarum incuria eſt depravatus, & hinc vel cum *Goveano L. 1. Var. Lect. c. 24.* ita: *His LL. latis cœpit, (ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret prudentium autoritatem) neceſſaria eſſe diſputatio fori*; vel cum *Corn. van Bynckershœck* in *prætermiſſis ad L. 2. de orig. jur.* (*opuſcul. Lugd. B. 1719. p. 26.*) ita: *His LL. latis cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret prudentium autoritatem, neceſſariamque diſputationem fori*; reſtituendus; refert tamen originem ſingularis juris Rom. ſpeciei, nimirum DISPVTATIONIS FORI, quæ per excellentiam *Jus Civile* adpellatur, & ab ipſis LL. XII. TABB. diſtinguitur a *Pomponio c. l.* Idemque eſt jus, quod *L. 20. ff. de Pœnis* vocatur *commentitium*, h. e. ex commentatione ſ. interpretatione prudentum ortum. Erat igitur DISPVTATIO FORI nihil aliud, quam interpretatio LL. XII. TABB. doctrinalis, & verſabatur circa verba dictarum LL. obſcura. Non poterat enim non obſcuritas in dictis LL. remanere, partim, quod ipſi fontes, ſcil. LL. Athen. &

& Lacedemonum, breves & obſcuri; partim, quod verſio e lingva Græca in Latinam ab homine Græco, lingvæ latinæ imperito, Hermoduro, & a Romanis, Græcarum Literarum indolis expertibus, imperite facta; partim, quod ipſæ LL. Græcæ ad ſtatum Romanum impertinentes fuerint. Et de hac obſcuritate quæritur *Phavorinus* apud *Gell. Noct. Attic. L. 20. c. 1.* & *L. 16. c. 10.* ridetur quidam, quod jurisperitus vocari vellet, verba XII. TABB. priſca nec teneret, nec interpretari poſſet. Imo teſte *Cic. c. 2. de LL. quid Leſſum XII. tabulæ appellarent, veteres earum interpretes, Sext. Aelius & L. Acilius, non ſatis intellexerunt.* Hæc igitur obſcuritas occaſionem dedit prudentibus, h. e. PONTIFICIBUS, ſuper verbis XII. TABB. diſputandi, & ea interpretandi, quæ diſputationes non erant inanes, ſed ad locupletandos pontifices aptæ, imprimis, poſtquam LL. *actiones* & *legitimæ actiones*, h. e. actionum civilium formulae, *Appio Claudio pontif.* autore, a collegio PONTIFICUM inventæ, quas cives, in foro acturi, pro certo pretio redimere cogebantur. Ejusmodi actiones erant: *Ceſſio. Caj. 2. Inſtit. emancipatio, adoptio. L. 4. de Adopt. L. 3. de off. procons.*

man-

mancipatio, *acceptilatio*, *aditio* aut *cretio hereditatis*, *ſervi*, vel alius rei, *optio*, *Atiliani tutoris datio L.77. de R. J. Faber ſemeſtr. L. 2. c. 22. Eberlinus ad T. ff. de orig. Jur. c. 7. n. 1.* & hæ LL. actiones expediendæ erant apud certos magiſtratus. *L. 2. de off. Proconſ. L. 1. de off. Jurid. L. 1. & 4. C. de adopt.* certisque & ſtatis diebus, a collegio PONTIFICVM in Faſtis ſignatis, quibus *fari*, h. e. jus dicere, licebat, reliquis diebus *nefaſtis*, h.e. a jure dicendo excluſis. *Varro L. 5. de ling. Lat. Macrob. Saturnal. L. 1. c. 16.* Hæ LL. actiones redactæ erant in certas formulas, quarum fragmenta paſſim in jure noſtro extant, e. g. agri vindicationem inſtiturus effodiebat, præſente agri poſſeſſore, glebam, eamque ad praetorem deferebat, & in hac, ceu ſymbolo, vindicabat agrum certa verborum formula, ap. *Gell. L. 20. c. 9. Sigon. de Judic. c. 9.* Duplici igitur hamo hauriebant PONTIFICES pecuniam civium: DISPVTATIONE & interpretatione XII. TAB. & venditione *actionum legitimarum*, coram certis magiſtratibus, certisque diebus, inſtituendarum; &, licet actionum formulas *Cnejus Flavius*, Appii Claudii pontif. ſcriba, A. V. C. 449. P. Sulp. Saverrio & P.

Sem-

Sempronio Sapho Coſſ. ſurripuerit, populoque prodiderit, ita, ut, *quando lege agi poſſet*, palam *ſciretur*, nec populus neceſſe haberet, a collegio pontificum eas petere, hocque facto Tribuni plebis munus meruerit, proditique actionum faſti jus Flavianum, honoris proditori habendi cauſa, dicti. *Liv. L. 9.* cui poſtea Jus civile Aelianum acceſſit. *L. 2. §. 7. de O. J. Pontifices* tamen *irati, quod ſunt veriti, ne, dierum ratione pervulgata & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quaſdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent. Cic. pro Murena.* Tales notae adhibebantur non quidem in actionibus, populo jam proditis, ſed in actis præſidum provinciarum & judicum, & SCtis excipiendis. *L. 33.* §. *1. ex quib. cauſſ. maj.* item in tabulis teſtament. *L. 40. princ. de teſtament. milit. L. 6. §. fin. de bon. poſſ.* quas tamen notas, una cum ipſis actionum formulis, (quæ jam Pauli JCti tempore in actionibus extraordinariis non amplius obſervabantur, *L. 47. de negot. geſt.*) Conſtantinus Imp ſuſtulit *L. 1. C. de Formul. & impetrat. act. ſublatis.* Convenit igitur huic maxime tempori definitio JCti ap. *Cicer. L. 1. pro orat.*

Digitized by Google

Ita & tibi ICtus ipſe per ſe nihil eſt, niſi leguleius quidam cautus & acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps ſyllabarum. Eberlinus cit. c. 7. DISPVTATIO igitur FORI, de qua mihi jam ſermo eſt, a pontificibus inchoata, continuata eſt poſtea per ICTOS. Ita Vlpiani *publicarum* DISPVTATIONVM mentio fit in *L. 14. C. de quaſt.* & *L. 17. §. 26. de muneribus & honor.* refert de Herennio Modeſtino: *& notando &* DISPVTANDO *bene ac optima ratione decrevit.* Id vero imprimis agebant ICti, quod in LL. interpretandis earum rationes inveſtigaverint. Exemplum eſt in *L. 19. de liber. & poſth. Scævola reſpondit: non videtur: & in* DISPVTANDO *adjiciebat; ideo non valere, quoniam &c. Corn. van Eck præf. ad theſes Jur. controv.* Aliquando ſolebant JCti in explicanda Lege ſibi rationes dubitandi excitare, & ad eas reſpondere. Ita Africanus in *L. 34. ff. mandati,* cum quæſtionem: an procurator, qui a mandantis debitoribus ejus pecuniam exegiſſet, & epiſtolam ad mandantem emiſiſſet, qua ſignificaret: certam ſummam ex administratione apud ſe eſſe, eamque creditam ſibi ſe debiturum cum uſuris ſemisſibus,

ſibus, actione mandati, an mutui, tenea-
tur? proponeret, & illud affirmaret, hoc
negaret, movet ſibi dubitationem, a de-
poſitario, qui per conventionem cum de-
ponente pecuniam apud ſe depoſitam cre-
ditam efficere poteſt; it. a mandatario, qui
a mandantis debitoribus pecuniam illius
ſpeciali juſſu in hunc finem, ut eam tan-
quam creditam retineret, exegit, ſumtam,
& quod his argumentis procurator in quæ-
ſtione propoſitus creditor fieri videatur, ſibi
objicit; non obſtante tamen hac dubitatio-
ne decidit, procuratorem potius manda-
ti actione teneri, hancque decidendi ra-
tionem: quod nudo pacto pecunia credi-
ta fieri non poſſit, affert. Hæc Africanus,
licet ex hoc exemplo conſtet, dubitandi ra-
tiones potiores, quam decidendi, quan-
doque fuiſſe. Cum autem PONTIFICES
in DISPVTATIONE FORI circa verba
XII. TABB. hæſerint, & in nuda verbo-
rum explicatione laborarint, ultra progreſ-
ſi ſunt ICTI, imprimis ſub Impp. & præ-
ter verborum explicationem in rationes
LL. inquiſiverunt, eiſque inveſtigatis Le-
gem ad caſum pro diverſitate principio-
rum philoſophicorum, cum alter fuerit

Stoicus, alter Epicureus, alter Pythagoricus, alter Ariſtotelicus, alter Platonicus, diverſe adplicarunt. Et, quod ad nudam verborum explicationem, occurrit memorabile exemplum in *L. 27. §. 14. ff. ad L. Aquil.* ibi. *inquit lex*: (cap. tertium L. Aquil.) *ruperit. Rupiſſe verbum fere omnes veteres intellexerunt, corruperit.* Refert hoc ad diſputationem fori *Gerard. Noodt ad L. Aquil. c. 15, & addit: in qua* (fori diſputatione) *ſolebant veteres, ſi de jure ambigeretur, cum rerum cauſas, cum verborum originem, uſum ac proprietatem inquirere & definire: eaque definitio, etſi non haberet vim juris, præterquam uſu recepta; tamen magnæ autoritatis habetur.* Quod vero ad DISPVTATIONES FORI, e diverſitate principiorum ortas, habemus tot ſectas & Scholas JCtorum, Proculejanam, Sabinianam, &c. quæ in varia abierunt principia, & de variis juris materiis ore & ſcriptis DISPVTARVNT. Inter hæc referendi ſunt imprimis QVÆSTIONVM, (quæ etiam ALTERCATIONVM nomine veniunt in *L. 4. C. de neceſſ. ſerv.*) tractatus, *in quibus ſuo arbitratu de jure controverſe*

Digitized by Google

ſo in theſi diſputabant, cum reſponſa in eo diſtincta a quaeſtionibus fuerint, quod haec deciderint ſingulares facti quaeſtiones ex jure conſtituto ſuccinctim, & fuerint velut nuda quaedam oracula, conſultatoribus data. Ab utriſque differebant JCtorum DEFINITIONES, quæ erant regulæ & theſes juris certæ, a JCtis ſtatutæ, cum QVÆSTIONES fuerint theſes juris non certæ, ſed dubiæ, ideoque nec regulæ, ſed tantum juris problemata; RESPONSA vero regularum & theſium certarum, ſive *definitionum* ad antitheſin ſ. factum applicatio. Egregie has differentias exemplo PAPINIANI illuſtrat *Everh. Otto* in *Papiniano C.12. §.1.p. 234. ſeqq.* Nam cum Princeps hic JCtorum ſcripſiſſet 37 libros QVAESTIONVM, in his non poſuit certas juris regulas, nec ad caſus propoſitos certe *reſpondit*, ſed QVAESTIONEM aliquam problematice ventilavit. Hinc formulae: *Plenius rogo, quae adhaec ſpectant, attingas L. 25. ff. de liberat. Legat. poſſe dici L. 14. de Legat. I. L.4. ff. de uſur. cujus rei forſitan illa ratio eſt, L. 47. ff. de acquir. vel amitt. poſſ. deliberandum eſt L.38. ad L. Jul. de adult. Praefectis*

Digitized by Google

fictis prætorio ſuaſi L. 3. §. 3. ff. de uſur. Egregium quoque exemplum QVAESTIONIS, in auditorio Papiniani, Prætorio Præfecti, agitatæ, occurrit in *L.40. ff.* de rebus *cred.* & QVAESTIONIS inter Vlpianum & Julianum itemque Papinianum, qui huic adſentit, ventilatæ, in *L. 43. ff. de act. emt.* Confer QVAESTIONEM ſuper legato a Papiniano motam in *L. 72. pr. ff. de condit.* Ita quoque Papiniano *tractare* idem eſt, ac QVAESTIONEM ventilare, *L. 6. §. 4. ff. ſi ſervit. vindic. L. 13. §. 1. ff. de jure codicill. L. 11. §. 6. ff. ad L. Falcid. L. 43. ad SCt. Trebell. L. 11. ff. de Captiv.* Hinc quoque *Cicero pro Murana* JCtos *jus controverſum tractare* dicit, licet Philoſophis tractare magis fuerit, quam quærere, *ap. Senec. lib. 1. controv. 1.* Alium vero ſe geſſit Papinianus in RESPONSORVM *libris 19*, ubi ad caſus juris aut facti, vel a magiſtratibus vel a litigantibus ei oblatos, ex jure *certo* & *definito* reſpondit, ſive jus certum & definitum ad caſum oblatum, decidendo eum, vel ore vel epiſtola applicavit; illud erat reſpondere, hoc reſcribere. *Otto c. l. §. 2.* Aliter quoque egit idem JCtorum Princeps in DEFINITIONVM *libris 2*, ubi certas juris regulas, vel ab an-

anteceſſoribus ſuis jam datas, repetit & confirmat, ut in *L. 97. ff. de ſolut.* vel ex principiis generalibus ſpecialem regulam deducit, absque applicatione ad certum caſum, in quo DEFINITIO a RESPONSIS differt, & absque formidine oppoſiti, in quo DEFINITIO à QVAESTIONE recedit. Et DEFINITIONIS vocem pro regula ſumtam eſſe a JCtis, patet ex *L. 1. ff. de regula Caton.* *Otto c. l.* §. 5. Ad recentiora progredimur tempora, ubi varias DISPVTATIONVM FORI ſpecies invenimus. *Alciatus* in *Parergis*; *Cujacius* in *obſervationibus*; *Hotomannus* in *quaeſtionibus*, *reſponſis amicabilibus*, & *obſervationibus*; *Contius* in *Diſputationibus*; *Auguſtinus* in *Emendationibus LL.* *Budaeus ad ff.* *Godofredi*, innumerique alii, & noſtro tempore *Corn. van Bynckersbœck* in *opuſculis* & *obſervationibus*; *Gerardus Nodt* in *operibus*; *Joſephus Averranius* in *interpretationibus juris*; *Johannes van de VVater in obſervationibus*; *Gvil. Beſt* in *Ratione emendandi LL.* *Menagius* in *Amœnit. jur. Civ.* aliique Gallos inter & Batavos ſubtiliſſimi ingenii JCti, proxime accedunt ad antiquiſſimos LL. XII. TABB. interpretes, cum

omnem laborem in interpretatione LL. Roman. Critica ponant, legem obſcuram ex lege clariori illuſtrent, contradictorias leges ex analogia aut hiſtoria juris, ſæpius etiam per expunctiones, mutationes aut interpolationes, concilient, uno verbo: artem criticam, logicam, hiſtoriam, *eloquentiam* civilem, aliaque ſtudia humaniora, in emendandis & illuſtrandis LL. adhibeant, licet negandum non ſit, hoſce ſummos criticos judicii ſui acumine ſæpius abuti, & licentiori quam par eſt, conatu expungere, interpolare, & ſenſum legis negativum in affirmativum & v. v. mutare Hoc ſi ſemper fieret fide Exemplaris ff. Florentini, aliorumque codicum antiquitate probatorum, aut ductu hiſtoriæ ac antiquitatum juris, eſſet inſtitutum hoc emendandi certum & abſolutum; ubi vero expunctio aut interpolatio fit ex regulis tantum logicis, aut ex analogia juris, emendantur quidem leges, ſed ſimul mutantur, licentia, quæ legiſlatori potius quam interpreti competit. Ad mutationem enim legis doctrinalem non ſufficit intentio tollendi obſcuritatem aut contradictionem, niſi illa autoritate aliorum codicum probato-

batorum, aut hiſtoriæ fide, ſit ſuffulta, cum diſſimulari non poſſit, nonnullas leges obſcuras & contradictorias remanere, quacunque etiam ratione, & quocunque modo, earum emendatio tendatur. Interim labor hic ſummorum JCtorum criticus laude ſua non eſt defraudandus, cum per eum Jurisprudentiam nacti ſimus politam & elegantem, legesque claras, perſpicuas, & inter ſe, ſublata contradictionis ſuſpicione, amice convenientes. Pertinet laudatisſimum hoc inſtitutum ad DISPVTATIONEM FORI THEORETICAM, a qua multum differt JCtorum recentium Germanorum DISPVTATIO FORI PRACTICA, ad tempora Papiniani, Vlpiani, aliorumque JCtorum, qui ſub Impp. floruerunt, proxime accedens. Noſtri enim JCti non negligunt quidem emendationem ac interpretationem LL. Romanorum, majorem tamen laborem in disquiſitione: *quatenus LL. Rom. in foris Germaniæ receptæ? quatenus nondum receptæ, aut per LL. provinciales, contrariamque conſuetudinem, abrogatæ?* abſolvunt, ubi in duas imprimis diverſas ſententias abeunt, cum alii: *omnes LL. Romanas pro receptis, præſumtione a generali Juris*

 Rom.

Rom. introductione ſumta, in foris Germaniæ eſſe habendas, itemque ei, qui hanc vel illam legem pro non recepta, aut abrogata, impugnet, probationem non factæ iſtius Legis receptionis incumbere; affirmant; alii vero, *generalem Juris Rom. in Germaniam introductionem* negantes, *nullam Legem pro recepta agnoſcant, niſi ejus receptio probetur.* Illam ſententiam fovent *Schilterus ad ff. Ex. I. §. 12. Conring. O. I. G. c. 33. Hertius de Conſultat. LL. & judiciis §. 15.* hanc, ceu ſingularem, *Conradus Sincerus diſſ. de German. LL. vett. ac Romani juris in republ. noſtra origine auctoritateque præſenti; Kaſtnerus de defectibus jur. Communis*, & qui primo loco nominandus erat, *Ill. Thomaſius*, qui *ſing. progr. 1691.* defendere voluit: *vix vigeſimam partem ff. ad praxin fori germ. accommodari poſſe*, quod poſtea in *corollario, diſſ. de Conſtantia* adjecto, ad *decimam* partem reſtrinxit, & hanc ſuam ſententiam in *vindiciis* adverſus *Viteberg. tract. de Nævis Jurispr. Antejuſt.* ſubjectis, & in *Delin. Hiſt. jur. §. 188.* it. in *diſſ. de rite formando ſtatu quæſtionis: an LL. jur. Juſtin. ſit frequens, an exiguus uſus practicus in foris Germaniæ?* ulterius deduxit.

vid.

vid. *Ill. Struv. Hiſt. jur. C. 6. §. 39. ſeqq.* Orta inde de uſu & non uſu juris Roman. ap. Germanos FORI DISPVTATIO, in qua ii videntur recte ſentire, qui generalem Jur. Rom. receptionem, & ſpecialem inde hujus ac illius Legis valorem, defendunt, donec legis abrogatio vel expreſſa vel tacita, (quæ ex contrariis juribus provincialibus, aut contraria obſervantia præſumitur, licet in ejusmodi juribus patriis abrogatio legis Rom. non ſit expreſſa) appareat. Similes FORI DISPVTATIONES occurrunt inter eos, qui ipſa jura patria committunt. Non enim negari poteſt, inter Jurisprudentiæ Germanicæ nævos referendam eſſe tot ſtatutorum & jurium provincialium differentiam, quæ Jurisprudentiam noſtram dubiam reddit & incertam, accedentibus imprimis præjudiciis & ſententiis collegiorum Juridicorum diſſonantibus. Ejusmodi FORI DISPVTATIONES utinam! jurium provincialium conſonantia, & ſententiarum JCtorum concordantia, componantur; utinam ceſſaret omnis circa LL. receptionem & valorem diſputatio! utinam Judices haberent non quæſtiones, ſed regulas & canones juris cer-

certas, juxta quas caſus decidere poſſent? utinam collegia juridica iisdem imbuta eſſent principiis, & in iisdem caſibus eodem uterentur jure? utinam vero imprimis omnes, quantum ſalva cujusque provinciæ politia fieri poſſet, jurium provincialium differentiæ tollerentur, & in veram compellerentur conſonantiam? ſuperſunt vero duæ DISPVTATIONIS FORI ſpecies. Vna propria eſt advocatis, altera vero Doctoribus, in cathedra quæſtiones juris tranctantibus. Hujus inſtituti, de quo mihi ſermo eſt, uſus in eo inprimis conſiſtit, quod per id juris dubii veritas inveſtigetur, & tam adjudicis, quam JCti, Doctoris, ac Advocati munus, in republica aliquando gerendum, ingenium præparetur & inſtruatur. Hoc tam certum eſt, quod neminem de eo dubitare confidam. Imprimis vero Inſtituti ejusmodi utilitatem optime agnoverunt VIRI Juvenes Nobilisſimi & ad ſolidam Juriſcientiam nati:

AVGVSTINVS BALTHASAR, Gryph. Pomeranus.

JOH.

JOH. PETRUS GUILIELMUS Jäger, Arnſtad. Thuringus.

GEORGIUS HENRICUS AYRER, Meinungenſis.

JEREMIAS WILHELM WALDT-SCHMIDT, Gothanus.

PAULUS WILHELMUS RICHTER, Longa-Saliſſa-Thur.

IOACH. JACOBUS POMERESCHE, Gazkovia-Pomeran.

Et hinc factum eſt, quod impetrata gratioſa ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS indulgentia, ſub ductu & moderamine meo, EXERCITIUM DISPUTATORIUM PUBLICUM in JCtorum acroaterio ſingulis Sabbathi, quandoque Mercurii, diebus, ſuper B. GEORGII BEIERI, JCti Viteberg. quatenus vitæ brevitas permiſit, conſummatiſſimi & abſolutisſimi, POSITIONIBUS IURIS CIVILIS, FEUDALIS, CRIMINALIS, & GERMANICI, inſtituere, ac hujus inſtituti initium futuro die XXVI. Jan.

L. *Brutus*. 15.
Bruti JCti controverſia cum Scævola de poſtliminio. 16.

C.

CAjus (Totus) v. *Capito*.
Caligulæ Imp. Oratio. 115.
Calliſtratus JCt. Platon. 350.
Candidati Cæſ. 131.
Capito (Atejus) honorum cupidus. 25. conſul ſuffectus. 24. adulator Impp. 23. 27. 28. 101. modeſtus. 77. vett. JCtor. opinionibus tenaciſſime inhærens. 22-31. 74. 252. autor ſectæ *Sabinianæ* ſ. *Caſſianæ*. 19. 21. 22. 31. 252. ej. ſectatores: 31-40. 252. ſqq. 1) Maſſurius SABINVS, a quo tota ſecta SABINIANA dicta. 21. ej. lis cum Labeone 58. cum Proculo. 19. 20. Sabiniani vett. opinionibus ſtrenue inhærebant. 74. res magis quam verba tractabant 76. proportionem geometricam fovebant. 74. 75. modeſti adv. Proculejan. 86. (2) C. Caſſius Longinus. 22. 33. 83. conſul. 34. a Claudio Cæſ. in exilium miſſus. 34. (3) Cæl. Sabinus. 22. 36. (4) Priſcus Javolenus. 22. 36. (5) Alburnius Valens. 22. 37. (6) Tuſcianus ſ. Mæcianus. 22. 37-39. (7) Salvius Julianus. 22. 39. 40. fuit Ariſtotelicus. 350. (8) Qu. Cervidius Scævola.

la. 54. 105. (9) Sext. Cæcil. Africanus. 55. (10) Terentius Clemens 55. (11) Minicius Natalis 55. (12) Vindius. 55. (13) Papinianus 67. 68. (14) Paulus. 70
Caracalla fratricida. 171
A. Caſcellius. JC. ſtoic. 250
Cassiana Secta v. *Capito.*
Celſi JCti vid. *Labeo.*
Claudii Imp. oratio. 133
Clemens (Terent.) vid. Capito.
Cœlibatus odium ap. Rom. 218
Comitior ap. Germ. origo. 148
Comitium Rom. 429
Commodi Imp. orat. 151
Conſulatus ſuffectus. 26
Craſſus JCt. 12
Cynicipbiloſ. 323. 324

D.

Definitiones JCt. 437
Dialectica uſus ap. JCt. Vett. 242
Diſputatio fori cum LL. 12. tabb. orta. 10. 429. ſeqq. erat in collegio Pontificum. 431. conſiſtebat in reſpondendo & docendo. 10. 17. 431. ſeqq. differebat a quæſtionibus, definitionibus & reſponſis JCtorum. 436. ſeqq. diecebatur jus civile. 13. interpretatio prudentum 13. 429. ſeqq. media jurisprudentia. 13

E.

Eloquentia ap. hom. 163
Epictetus. 234

Digitized by Google

Epicureæ ſectæ fata Romæ. 224. - - 230. 303. 304
Epicurei Stoicorum æmuli 305 - - 307. eorum de corpore humano opinio. 418
De *Embrione* opinio ſtoic. 403

F.

Florentinus JCt. Stoicus. 257
Ferox (Vrſejus) vid. *Labeo.*

G.

Galli & Mutii controverſia cuam Servio & Ofilio. 16
Gothofredus notatus 348
Grammatices uſus ap. JCt. Vett. 244 - - 248

I.

Iavolenus JCt. v. Capito.
Imperator arbiter litium JCtor. 17. 96.
Impp. orationes in augurales. 115. excuſatoriæ ib. perſvaſoriæ 116. 119. laudatoriæ. 116. in ſenatu recitatæ. 129. SCto confirmatæ. 132. 133. 146. in æs & argentum inciſæ. 136. 137
Impp. literæ ad ſenatum. 134. modi perveniendi ad potentatum. 112. 113. 138. conſulatus. 118. tribunitia poteſtas. 117
Interpretatio prudentum. 429. 430
Julianus (Salvius) JCt. v. *Capito.*
Ej. cum Celſo controverſia. 90
JCtorum ſectæ. v. *ſecta.*
JCtorum varii tituli. *Præf.* & 107. 108. JCti eclectici. 57. 61. 83. 86. 393. in redubia plurium opinio-nes

nes ſequebantur. 61. in refutationibus modeſti. 77. 82. *JCti* utebantur certis formulis in refutation. 80. JCtis poteſtas publice reſpondendi ab Auguſto Imp. data. 100. per Conſtant. M. ademta. 107. JCti & Stoici philoſophi æmuli. 310.-319. 325.-330. 352. 353. JCti Stoici. vid. *Stoic.* JCtor. ſucceſſio 249. Sacerdotium. 319. -322. theologia & moralis philoſ. 354. - 363. 371. ſeqq. JCtor. diſputationes, quæſtiones, reſponſa & definitiones. 433 ſeqq.

Jurisjurandi religio. 360. 361. 405

Juris Nat. definitio Vlpiani Stoica. 184. 185. 399.

Jurisprudentiæ periodi 13. fata ſub Impp. 100. definitio Stoica. 189. cum Philoſophia affinitas 231. 281. - 285

L.

Labeo (Antiſtius) ab Atejo Capitone maxime diſſentiens, &, cum ille ſeveræ & vett. JCtor. doctrinæ ſtrenue inhæreret, ingenii qualitate & doctrinæ fiducia plurima innovare inſtituit. 22. - 31. 74. honorum averſator. 25. 6. menſ. Romæ vacabat conſulentibus, 6. menſ. occupatus erat ſtudiis in ſeceſſu. 27. *Labeonis* *καινοτομία*. 30. cum Trebatio conſenſus & diſſenſus. 30. lis cum Sabione. 58. cum Octaveno. 58. vehementia erga Principes. 24. 27. 28. 101. 217. Stoicus. 23. 24. 41. autor ſectæ PROCVLEIANÆ ſiv. PEGASIANÆ 19. 21. 22. ejus ſectatores. 41.- 56. 252. ſeqq. (1) Nerva pater 21. 41. (2) Nerva fil. 22. 42. (3) PROCVLVS, a quo tota ſecta dicta PRO-

Digitized by Google

CVLEIANA. ejus controv. cum Sabino. 19. 20. cum Caſſio & Sabino. 59. Proculejani ſtoici. 74. ethymologici. 75. proportionis arithmeticæ defenſores. 74. 75. eorum cum Sabinianis controverſiæ. 91. - 96. (4) PEGASVS. 22. 43. (5) Celſus pater & (6) Celſus fil. 22. 44. 45. in Labeonem & Proculus immodeſti 81. cum Julian. controv. 90. (7) Neratius Priſcus. 17. 22. 46. (8) Attilicinus. 48. (9) Ariſto. 15. 17. 49. (10) Vlpius Marcellus. 51. (11) Titus Cajus, ſtoicus. 52. 256. (12) Pomponius. 63. (13) Vrſejus Ferox. 53. 103

Leges ff. explicatæ: L. 1. §. 3. L. 10. de J. & J. L. 1. §. 1. de inſpic. ventr. L. 9. ad L. Falcid. L. 10. §. 1. de vulg. & pupill. ſubſt. L. 7. pr. de ventr. in poſſeſſ. L. 9. §. 7. de pecul. pag. 184. 191. L. 1. §. 1. de J. & J. p. 272. ſeqq. L. 63. §. 9. pro ſoc. 65. L. 2. §. 5. de Or. Jur. 429. ſeqq.

Leges XII. tabb. 428. ſeqq.

M.

Macianus JCt. 105

M. Manilius. 15

Marcellus (Vlpius) v. *Labeo.*

Marcianus (Aelius) 250. 256

Maſſurius. 25

Mutii (Qvinti) lis cum Servio & Ofilio 16. cum Sulpicio. 16

N.

Natalis (Minicius) v. *Capito.*

Nero

Neronis Imp. oratio. 136
Nerva Pater, vid. Labeo.
Nerva fil. vid. *Labeo*.

O.

Octaveni lis cum Labeone. 58
Ofilii lis cum Gallo & Mucio. 16

P.

Panætius ſtoicus, ejusque diſcipuli. 206. 394
Papiniani tituli. *Praef.* æmulatio cum *Paulo* 58. 66. cum Vlpiano 66. Papinianus ſectator Capitonis. vid. *Capito*. ſtoicus. 166. 257. eclecticus 67. necem Getæ imp. excuſare detrectans trucidatur. 172. 364. Epitaphium, 106, ej. quæſtiones, reſponſa & definitiones.
Patriæ amor. 372. 373
Pauli JCti lis cum Papiniano. 58. 66. cum Vlpiano 69. Sabini ſectator. vid. *Capito*.
Pegaſiana ſecta. vid. *Labeo*.
Philoſophia juxta Vlpian. vera & ſimulata. 288.-293
Philoſophia cum Juriſprudentia affinitas. 231. 281.-285
Philoſoph. ſtoic. & JCtorum æmulatio. 310.-319. 325.-330. 350. 353
Platonica ſecta Romæ fata. 224
Pomponius JCt. eclecticus 57. ſectator Labeonis. 63
Pomponius (Sext.) ſtoicus. 250. 256
Pontificum collegium. 431. ſeqq.

Proculejana. ſecta. v. *Labeo.*
Pythagoreæ philoſ. in Italia fata. 203. 225

Q.

Quæstores, orat. Impp. in ſenatu recitantes. 129
Quæſtiones JCtor. 436 ſeqq.

R.

Reſponſa JCtor. vett. 437. ſeqq.
P. Rutilius Rufus, JCt. ſtoic. 250. 424.

S.

SABINIANA ſecta. v. *Capito.*
Scævola (Q. Mutii) JCt. Stoicus. 250
Scævola (Qv. Cervidii) lis cum Bruto de poſtlimio. 16
Salvius JCt. 15
Secta Sabinianea, Caſſiana Proculej. Pegaſiana. v. *Capito* & *Labeo.*
Secta unde dicta. 18
Secta JCtor. ap. Rom. prima. 19
Secta JCt. quo tempore ortæ & finitæ. 10. 56. 57
Secta mater antinomiar. 89
Sectarum æmulationes. 97
SCta differunt a ſenatus autoritate. 120. 121. æri inciſa. 136
Severi Imp. orat. 115
Sulpitii JCti lis cum Mucio de ſocietate. 16
Sulpitius (Servius) JCt. ſtoic. 250

Digitized by Google

Stoici curioſi verborum. 23. immodici erga Principes. 24 ſub natura intelligebant Deum. 184. 185. mundo tribuebant rationem 186. ſtatuebant in ſitionem animæ in corpus. 186. connexitatem virtutum. 188. αὐτοχειρίαν. 190. 412. - 417. imagines Deorum & ſacrificia deteſtabantur. 211. credebant unum Deum. 211. 222. permittebant ſui defenſionem. 212. mentem habebant pro parte eſſentiæ Divinæ. 212. cognationem inter omnes homines naturalem ſtatuebant. 213. 401. inculcabant ſui cognitionem. 213. amabant deimocratiam. 215. 216. cœlibatum. 219. injungebant amorem erga patriam 220. requirebant ad regimen ſapientem. 236. non ſplendebant nec ſordebant. 238. referebant dialecticam inter virtutes. 240. 243. 419. amabant Grammaticam. 244. diſputabant adverſus Epicureos. 305. 307. peripateticos. 308. Stoicorum principia. 258. - 261. paradoxa 310. - 319 horum cum JCtorum principiis comparatio & differentia. *ibid.* hypocriſis. 309. *Stoica* philoſophiæ uſus in explicandis LL. 183. præſtantia præceteris ſectis Romæ. 223. ea maxime moralis. 233. eam fovebant JCti republ. libera. 249. 252. ſub impp. 252. - 258. Stoici damnabant uſuras. 406. luctum 407. - 409. profitebantur proportionem arithmeticam & virtutum ac vitionem æqualitatem. 417. 418. 422. ſtilo utebantur conciſo. 420

T.

Tiberii ep. ad ſenat. 134

Tre-

Digitized by Google

Trebatius Teſta JCt. Stoicus, deinde epicureus. 23. 30. 101. 251. 394

Tribonianus (1) non ſatis intellexit vett. JCt. (2) plura de ſuo addidit, (3) vett. JCtor ſcripta ſuppreſſit. 87. 88

Tubero (Q. Ael.) JCt ſtoic. 250. 350

Tuſcianus v. Mæcianus. 22. 37

V.

Valens (Alburnius) v. *Capito.*

Varus (Alphenus) 350

Vindius. vid. *Capito.*

Vlpianus JCt. eclecticus. 58. 308. Stoicus. 257. 307. Papiniani æmulus. 66. Pauli æmulus. 69. e ſecta Proculej. 71. verus philoſophus. 274. -280. 293. ſeqq. theologus. 357. 371. non-perſecutor chriſtianorum. 380. 381. 383. ejus fata ſub Heliogabalo & Alexandr. Sev. impp. 366

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google